AUTHOR:

CHRUZANDER, KARL GEORGE

TITLE:

DE ELECUTIONE PANEGYRICORUM...

PLACE:

UPSALIAE

DATE:

1897

Master Negative #

91-80131-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

870.15
P19 Chruzander, Karl Georg,

De elocutione panegyricorum veterum Gallicanorum quaestiones. Commentatio academica quam...defendet Carolus Georgius Chruzander... Upsaliae, Almqvist 1897.

115 p. 23 cm.

Thesis, Upsala, 1897.

11994

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA [IIA] IB IIB
DATE FILMED: 7-15-91 INITIALS MT
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Chruzander
Panegyricorum Veterum

DE ELOCUTIONE
PANEGYRICORUM VETERUM GALLICANORUM
QUÆSTIONES

COMMENTATIO ACADEMICA

QUAM

PERMISSU AMPL. ORD. PHILOS. UPSAL.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

IN PUBLICO DEFENDET

CAROLUS GEORGIUS CHRUZANDER

LIC. PHIL. UPL.

IN AUDITORIO V A. D. V CAL. IUN. MDCCCXCVII

H. P. M. S.

UPSALIÆ
TYPIS DESCRIPSERUNT ALMQVIST & WIKSELL
MDCCCXCVII

Si quis penitus intelligere velit, qualis cuiusque indoles et natura populi ætatumque singularum fuerit, litteras linguamque cognoscere necesse est, quum ex nulla alia re melius concludi possit, quantis ingenii facultatibus præditus fuerit. Lingua enim sola certum quasi fundamentum est, a quo in diiudicando, quos ad gradus quoque tempore ascenderit cultus animi humanitatisque, proficiscaris, eaque duce inde ab initio percipere licet, utrum adolescens increverit an senescens in peius se converterit. Qua re prorsus perspecta nostro quidem sæculo in linguis perscrutandis et comparandis docti viri studiose diligenterque versati sunt, quo factum est, ut ad summam gloriam honoremque perveniret scientia. Qui quum in lingua Latina conati essent exquirere, quid cuiusque auctoris proprium esset, iisque linguæ ætatibus perspiciendis, quibus nomen aureæ et argenteæ est inditum ætatis, summum studium collocassent, tamen posteriori, quid per se esset, intelligendæ minus incubuerunt. Quam si perscrutati videmus, quantum res foris domique gestæ ad linguam Latinam corrumpendam valuerint, nescio an valde referat, ut cognoscatur. Nam quo magis moribus Romanorum veteribus ad mollitias labentibus res alienæ invalescebant, eo facilius voces peregrinæ structuræque sermoni veteri immiscebantur. Sæpissime autem scriptores, quos non amplius in dicendo suos fuisse videmus, priores auctores imitari studebant, imprimisque hoc ad eloquentiam et ad eos, qui eloquentiam docebant, pertinere appa-

ret. Nam si de arte rhetorica agitur, Ciceronem semper principem et quasi patrem eloquentiæ esse existimabant.

Hæc est ratio illarum quoque undecim orationum Gallicarum, quæ laudatione Plinii minoris addita[1] panegyrici Latini vel veteres inscriptæ sunt, et quarum optimus codex in bibliotheca Upsaliensi exstat. His in panegyricis, qui inter annos 289 et 389 post Christum natum in Gallia, quæ tum studio eloquentiæ florebat, habiti sunt, et quorum tempus, quando quisque ortus sit, facile definiri potest[2], plurima est illius ætatis effigies, quod maxime declarant, quantis blanditiis adulationibusque usi sint homines in imperatores Romanos, quibus audientibus omnes quarto excepto dicti sunt. Quæ quum ita sint, prudenter moderateque iis auctoribus uti necesse est.

Qui autem eos dixerint, inter omnes non constat. Certi quidem sunt auctores quattuor panegyricorum, ex quibus pan. IV ab Eumenio, X a Nazario, XI a Mamertino, XII a Pacatio scriptos esse cognovimus.

[1] Cuius in hac dissertatione nulla ratio habebitur, quia panegyrici Gallicani quum duobus aut tribus sæculis post panegyricum Plinii scriberentur, melius per se tractantur. Huc accedit quod non a Romanis sed a Gallis compositi sunt, qui in lingua Latina non nati eam ut nos hodieque didicerant. Quod oratores ipsi quum compluribus locis ostendunt tum pan. IX cap. primo: "neque enim ignoro quanto inferiora nostra sint ingenia Romanis. Siquidem latine et diserte loqui illis ingeneratum est, nobis elaboratum, et, si quid forte commode dicimus, ex illo fonte et capite facundiæ imitatio nostra derivat", et pan. XII cap. primo, quum exponatur, quam difficile sit palam Theodosio imperatori laudationem habere: "huc accedit auditor senatus, cui cum difficile sit pro amore quo in te præditus est de te satis fieri, tum difficilius pro ingenita atque hereditaria orandi facultate non esse fastidio rudem hunc et incultum Transalpini sermonis horrorem, præsertim cum absurdæ sinistræque iactantiæ possit videri his ostentare facundiam quorum de fonte manantem in nostros usque usus derivatio sera traduxit."

[2] Vide de hac re librum S. Brandtii: Eumenius von Augustodunum und die ihm zugeschriebenen Reden, Freiburg 1882, imprimis pag. 34.

Sed auctores pan. VI et IX nobis prorsus ignoti sunt. E ceteris autem, de quibus docti viri multum disputaverunt, orationes II et III Ruehl[1] ab eodem viro scribi non potuisse existimavit, quamquam codices præferunt eundem esse auctorem, sive ei nomen fuit Mamertino, ut in uno codice significatur, sive aliud nomen. Plura verba de pan. V, VII, VIII cum IV collatis fecerunt. Quos quum inde ab ætate Livineii propter multa in iis inter se congruentia creditum esset scripsisse Eumenium, qui ipse se quartam orationem habuisse dicit, postremis temporibus rem diligentius inspexerunt. A. Sachs[2], qui minimam operam in elocutione perscrutanda consumpsit, se plane ostendisse arbitratur Eumenium præter pan. IV etiam VIII composuisse imprimis argumenta Brandtii vituperans, qui et elocutione formaque singulorum panegyricorum breviter tractandis et maxime rerum ipsarum sententiarumque ratione habenda fieri non potuisse iudicavit, ut unus scriptor orationes IV et VIII componeret. Cui sententiæ hoc decennio R. Götze[3] assentitur, qui tamen rem pluribus Brandtio et subtilioribus quæstionibus illustravit. Nam ut certius de his rebus iudicetur, non parvam quandam partem consuetudinis dicendi panegyricorum sed totam elocutionem perquisivisse et non solum sermonem paucorum sed omnium cognovisse atque inter se comparasse necesse est. Sed quum nemo ex illis doctis viris, quos supra dixi, copiosius de elocutione panegyricorum quæsiverit – quamquam quæ sibi proposuerunt, diligentius perscrutati sunt – me operæ pretium facere sum arbitratus, quum ad hanc rem disputandam aggrederer, non ignorans omnia, quæ a me exspectantur, præstare difficillimum esse. Propter

[1] De XII panegyricis Latinis propædeumata. Diss. Inaug. Gryphiswaldiæ 1868.

[2] De quattuor panegyricis, qui ab Eumenio scripti esse dicuntur. Diss. Inaug. Halis. Sax. 1885.

[3] Quæstiones Eumenianæ. Diss. Inaug. Halis. Sax. 1892.

magnam rerum copiam et angustias temporis complura quidem omittere mihi necesse fuit, quæ, quum hoc mihi ad disserendum proponerem, tractare in animo haberem. Velut maxime interest diligentius quærere, quo modo panegyrici in figuris oratoriis adhibendis inter se discrepent, quo modo ii alius alium et ceteros quoque scriptores Latina lingua usos imitati sint, de quibus rebus Ruehl, Brandt, Sachs, Götze in libris supra commemoratis pauca disseruerunt. Et multa alia einsmodi afferre possum. Itaque tantummodo partem quandam elocutionis panegyricorum exquirens primum de usu et significatione singularum vocum, quibus particulæ quoque addentur, deinde de ratione syntactica aliquid dicam.

Priusquam transeo ad singula verba tractanda, commemorandum esse puto in panegyricis sæpissime, ut apud Suet. Tac. alios, imperatores propter divinum honorem, quo coli solebant, cum deis conferri, ut nomina et attributa iis tribuantur, quæ rite debeantur diis. Velut *numen* in omnibus panegyricis, X, XI, XII exceptis, usitatissimum est; præterea *divinitas* V: 143, 1[1] 143, 17. XI: 256, 11. 270, 3. *pietas* VIII: 186, 4. X: 219, 12. præter alias voces. Quidquid ad principem pertinet, *sacrum* esse significatur, ut II: 89, 13 et IX: 192, 18 *sacra urbs*. IV: 124, 7 *sacræ largitionis*. 125, 15 *epistulæ sacræ*. 127, 23 *sacris litteris*. 131, 25 *sacras aures*. VI: 151, 9 et XI: 256, 9 *sacrum pectus*. 256, 7 *sacra mens*, vel *sanctum* II: 89, 16 *sanctum illud palatium*, vel *divinum*, ut IV: 125, 9 *verba illa divina cælestesque litteras*. 131, 27 *divinam tantorum principum scientiam*. V: 133, 7 *divinarum aurium*. 135, 1 *divinarum mentium*. 137, 16 *divinis*

[1] Editionem Bæhrensii (Lipsiæ 1874) secutus nullos alios locos afferam quam qui certi mihi esse videntur, sed si alia quoque dubia commemoranda erunt, id in adnotatione animadvertam. Quum autem exempla proferam, et panegyricos singulos et paginas et lineas paginæ ascribam.

expeditionibus tuis. VI: 150, 23 *divinum iudicium*. 153, 12 et VIII: 188, 12 *divina mens*. 189, 21 *o divinam — tuam medicinam!* X: 224, 14 *divinas expeditiones* XI: 266, 6 *divinior felicitas*. XI: 267, 8 *oris illius divinis affatibus*, vel *cæleste*, ut VI: 148, 23 *cælestarum nuptiarum*. 150, 28 *cælestes illius vultus*. 157, 6 *cælestem pietatem* X: 220, 22 *cælestis prudentia tua*, præterquam quod sæpissime oratores alloqui solent imperatores vocibus quæ sunt: *sacratissime imperator*, quæ vox in pan. II, III, VII, VIII, IX usitatissima est; *sacratissimi principes* in pan. III et VI; *sanctissime imperator* in pan. XI tribus locis 258, 20. 269, 7. 270, 13.

Scriptores panegyricorum ut in oratione ornanda et in verbis sententiisque concinne et eleganter collocandis Ciceronem aliosque optimos auctores imitabantur, ita etiam in vocibus construendis plerumque leges linguæ Latinæ servabant. Tamen in verbis elegendis similitudo quædam iis cum scriptoribus argenteæ et posterioris ætatum est, quum sæpe vocibus usi sint, quas aut nulli alii quam poetæ aut scriptores solutæ orationis rarius usurparent, quod facile ex iis rebus, quas ad disserendas transeo, apparebit.

Abdicare i. s. q. *reiicere* XII: 284, 13 *nihil abdicandis vitiis adoptandisque virtutibus impensius sentio profuisse*. Livius et Sallustius: abdicare magistratum. Apud Plinium maiorem usitatissima est hæc structura: abdicare aurum, ignes. Cicero: abdicare se alqa re, quod reperitur: IX: 205, 27 *cum — se abdicasset imperio*. X: 219, 8 *ut — terrarum se curis abdicaverit*. XII: 296, 28 *vita sese abdicare compulsus est*.

Abiurare alqd i. q. *iureiurando negare* XII: 308, 13 *Sed nec tu debitam gratiam beneficii infitiator abiuras*. Hoc verbum apud Plautum tribus, apud Cic., Virg. Sall. singulis locis invenitur.

Abnuere cum dativo rei iunctum VI: 155, 17 *tibi rei publicæ curis non erat abnuendum.* Eodem modo Apuleius duobus locis. Apud alios scriptores aut absolute aut cum accusativo positum est. Absolute usurpatur IX: 212, 19 *nec abnuendi est causa.* Cum accusativo coniungitur XII: 282, 10 *nec abnuisse dubitabit imperium.* Sall. uno loco: abnuere de alqa re.

Abrumpere translato sensu, ut apud poetas et script. poster. XII: 298, 3 *foedus abrumpere,* i. q. *rumpere, violare* (Cic.)

Abuti cum ablativo iunctum idem fere significat quod *large et plene uti,* ut apud Cic. nonnullis locis, X: 236, 18 *abuterer exquisito quodam lepore ac venustate dicendi.* XII: 294, 31 *latro raptis abutitur.* Vi infirmata idem fere est ac *uti* XII: 299, 23 *quamvis — hoste tali abutereris.*

Accedere insolenter cum accusativo coniungitur IX: 207, 13 *ausi etiam quidam — queri tam cito* (sc. te) *accessisse palatium.* Eodem modo poetæ. Cic.: accedere ad alqd, quæ structura reperitur VII: 164, 28 *ad intimum terrarum limen accessit.* XI: 261, 22 *ad te maximus imperator accedet.* Et de rebus inanimis X: 238, 2 *ad animum languidius accedunt quæ aurium via manant.* Cum dativo iunctum i. s. q. *se adiungere, assentiri* XII: 282, 10 *qui vitæ tuæ sectam rationesque cognoverit, fidei incunctanter accedet.* Idem quod *addi* est VI: 149, 6 *pristinæ vestræ concordiæ perpetuæque pietati hoc quoque pignus accessit.* VIII: 182, 26 *bonis enim meritis cum ætate dignitas et pondus accedit.* Eandem significationem invenimus XII: 300, 5 *ut — militi auxiliator accederet,* ubi tamen dativus etiam ad verbum quod est auxiliator pertinet. VI: 160: 16 et XI: 245, 26 *huc accedit quod.* XII: 271, 16 *huc accedit auditor senatus.* II: 90, 32 *ex quo vires illius ad Romanum nomen accesserint,* ubi verbum cum præpositione quæ est *ad* iungitur. Absolute dicitur V: 140, 27 *accesserat diuturna sceleris impunitas.* IX: 212, 11 *sine ullo extrinsecus accedente vigoris impulsu.* XI: 248, 15 *stimulator accederet.* De tempore usurpatur III: 116, 2 *annis accedentibus.* Cfr Hor. Sat. II: 2, 85 accedent anni.

Accingere in perf. part. pass. positum i. s. q. *præditus, instructus* V: 139, 26 *tot accincta portibus.* VII: 175, 8 *munitissimo accincta portu.*

Accrescere cum dativo iunctum i. q. *adiungi, addi* VI: 149, 19 *tibi — per socerum nomen imperatoris accreverit* (Liv. Plin. ep. poet.)

Adipisci in perf. part. passiva vi-structum X: 220, 4 *incrementum — adeptæ felicitatis* (Plaut. Tac. Sall. Ov. Suet.)

Adiicere alqd ad alqd X: 237, 3 *nil adiici ad gloriæ magnitudinem.* XI: 246: 5 *putant aliquid adiicere ad splendorem laudum tuarum consulis nomen;* sed paulo infra in eodem capite cum dativo adhibetur: *adiicitur enim laudum dignitati honore laudantis,* h. e. augetur laudum dignitas honore laudantis. Ita etiam Curt. Cels. Quint.

Adolere, quod verbum apud alios scriptores sæpissime transitiva vi de sacris rebus adhibetur, i. s. q. *excitare, conflare* XII: 292, 12 *cum pauci — totius incendium continentis adolerent.*

Adoptare cum accusativo rei iunctum insolenter adhibetur XII: 284, 13 *nihil abdicandis adoptandisque virtutibus impensius sentio profuisse.* Cfr Ov. Fast. 4,880. Lampr. Heliog. 2, 4.

Adorare ut sæpissime cum accusativo personæ iunctum XII: 272, 11 *ad contuendum te adorandumque properassem.* Cum accusativo rei iunctum i. s. q. *venerari, magni æstimare* IV: 124, 16 *hoc ego salarium — adoratum accipio.* V: 135, 10 codd. præbent *adorare,* quod Bæhrens in *adumbrare* correxit sine causa, ut mihi videtur: *Adoratæ sint igitur mihi Sarmaticæ expeditiones,* h. e. *laudatæ.* Cfr Stat. Silv. III præf.: Her-

cules — quem — his versibus adoravi, et IV præf.: septimum decimum Germanici nostri consulatum adoravi.

Adorea i. s. q. *gloria* XI: 256, 12 *cum honorem meum adoreis militaribus gloriosus collega cumularet* (Plaut. Hor.; apud posteriores usitatum).

Adulare activa forma ut apud Val. Max. et Auson. translato sensu exstat XI: 260, 5 *probrosissimum adulabant.* Absolute in participio præs. XI: 261, 8 *blandimentis adulantum repugnat.* XI: 261, 14 codd. præbent: quippe ei a fucatis *adulantium* venenis quod periculum est? ubi Bæhrens coniecit: *adulatuum,* quæ vox, quod sciam, apud nullum scriptorem reperitur; neque causa est, cur corrigamus.

Advertere i. q. *animum advertere* V: 146, 24 *quæ singula ut respectantes adverterant* (Tac. et poster.). Eodem modo *attendere* VIII: 183, 2 *attende, quæso, quantum sit,* ut apud Cic.

Adytum translatam vim habet IV: 121, 7 *privata Musarum adyta.* V: 132, 18 *adyta Palatii vestri.*

Aequanimitas verbum apud Terentium, Plin. Tertull. Lactant. usurpatum non apud scriptores aureæ ætatis apparet. III: 107, 5 *vobis Rhenus et Hister et Nilus — tam facile sunt æquanimitate communia.*

Aequare alqd alci rei II: 89, 11 *debeat honos vester divinis rebus æquari,* ut apud Liv. Virg. Vellej. (Cic.: cum alqa re). VIII: 184, 11 *qui fortunis nemini possumus æquari.* XII: 289, 25 *priscis æquanda cæremoniis instituta* h. e. *comparanda.* Nullo dativo sequente V: 139, 7 *tunc se nimirum et Parthus extulerat et Palmyrenus æquaverat.* Contra XII: 302, 13 *fossas cadaveribus* (abl.) *æquabant* (sc. solo). I. s. q. *assequi* V: 132, 16. VI: 151, 4. 154, 12. VII: 176, 1. VIII: 190, 25. XII: 276, 4. 301, 5.

Aequiparare, quæ vox apud Cic. et Cæs. nusquam reperitur, apud Liv. et poster. frequentior est, significat: *æquare, facere alqd alci rei æquale,* h. e. quod alqa re dignum sit, X: 215, 4 *quis — aspirare laudes tuas audeat æquiparandi magis spe quam gratia non tacendi.* Etiam X: 216, 18 *spes æquiparandi patris.*

Affatus, vox fere poetica, pro *allocutione* VIII: 187, 27. *clementissimo tollis affatu.* XI: 267, 8 *oris illius divinis affatibus*[1] *consecrati.* XII: 288, 23 *ille cohonestatus affatu.* Præterea apud nullum solutæ orationis scriptorem nisi apud Apuleium invenitur. Iurisconsulti verbum alio sensu usurpant.

Afflare per translationem dicitur XII: 291, 2 *nominis terrore percussi et velut afflati.* Cfr Flor. 3, 5.

Agglutinare translato sensu i. s. q. *iungere* X: 218, 27 *fortunæ vicissitudo, quæ plerumque prosperis rebus triste aliquid adglutinat.* (Plaut.)

Agilis i. q. *celer, promptus,* de hominibus dicitur X: 242, 12 *quam agilis excipiendo hoste.* (Poetæ et script. poster. æt.)

Agitare (sc. vitam) XII: 299, 30 *quo foris securus agitares* (Sall. Tac.).

Aliquantisper, quæ vox apud Plaut. Ter. Cæcil. reperitur et in postrema ætate frequens est, exstat XII: 277, 14.

Alternare excubias XII: 300, 14. Cfr Sil. 9, 93.

Altrinsecus i. q. *aut ex una parte aut ex altera parte* XII: 272, 6 *omnes quibus altrinsecus iactor æstus.* (Lactant.); sed i. q. *et ex una parte et ex altera parte* XII: 301, 6 *si rerum temporumque facies altrinsecus conferamus.* Id significat etiam apud Amm. aliosque.

Amaritudo translata vi XI: 260, 26 *non amaritudine ipsius iniuriæ deterreri.* (script. arg. æt.)

Ambage, abl. sing., propria significatione usurpatur XII: 305, 23 *incertum iter ancipiti ambage texebat.* Contra plur. num. translato sensu X: 243, 28 *veterum calumniosæ ambages recisæ.*

Ambire i. q. *circumveniendo impedire* XII: 300, 2 *ut — fugam circumfusus ambires.*

Ambitor, quod verbum non prius quam sæculo quarto p. Chr. n. primum apud Ael. Lampridium, deinde

[1] Lectionem codd. retineo. Bæhrens: afflatibus.

apud Salvianum invenitur, usurpatum est XI: 257, 26. Præterea apud Paulinum et alios.

Ambulacrum i. q. *ambulatio* (Cic.) XII: 289, 24 (Plaut. Gell.).

Amoenus minus frequenter de aliis rebus quam de locis dictum XI: 255, 4 *faciem amoenam.* Ita Plaut. Tac. Gell.

Ancillari pro *servilem in modum blandiri* XII: 272, 21 *illa facundiæ ancillantis necessitas.* Lexica Accium et Titin. apud Nonium, Plinium maiorem, Apuleium afferunt.

Anguipedes de Gigantibus dicitur XII: 311, 26 *anguipedum bella monstrorum.* (Ov. Macrob. Manil.)

Anhelare de locis usurpatur XI: 251, 29 *quæ paulo ante arida et siti anhelantia visebantur.*

Anhelus ad homines et ad id, quod ad homines pertinet, spectans IX: 200, 25. X: 233, 20. XII: 302, 2. De rebus inanimis dictum VII: 177, 27 *anhela fontium ora.* Vox fere poetica est.

Animositas, vox posterioris ætatis, III: 104, 13 *pertinaci animositate certandi.*

Animosus, verbum etiam apud Cic. repertum, X: 230, 12 *animosam – virtutem.* Adv. *animose* in comp. X: 229, 6.

Anniti cum accusativo pronominis neutr. gen. Plin. ep. 6, 18. Liv. V: 25, 13. XXII: 58, 3 et in gerundivo apud Gell. iungitur. Tamen insolentius aliud obiectum habet VIII: 192, 2 *culturam melioribus adnituntur auspiciis*, h. e. *aggrediuntur.*

Antevertere i. q. *præstantia anteponere* hoc uno loco, quoad lexica afferunt, XII: 278, 29 *quod ego tuum otium aliorum negotiis anteverto.*

Apex translate dictum XII: 276, 3 *hunc humani fastigii apicem.* (Arnob. Amm.)

Apprehendere cum acc. personæ iunctum i. q. *potiri, conciliare* XII: 279, 3 *homines his aut illis beneficiis apprehendebas.*

Aptare XII: 310, 16 *totus denique homo aptatur ad meritum*, quæ verba idem fere significant ac *spoliatur.* IX: 201, 23 *de gladiis eorum gemina manibus aptari claustra iussisti.* XII: 278, 4 *dum aptat imperio* (sc. te). 286, 11 *mendaciis vatum in plausus aptata.* (Liv. et post.)

Arctous pro *septentrionali* XII: 274, 6 *arctois subiecta frigoribus.* (Poetæ arg. æt.)

Arietare alqd i. q. *incurrere in alqd arietis instar* X: 230, 23 *cum aciem arietaverint.* (Plaut. Curt. Sen.)

Arridere alci XI: 257, 1 *omnibus arridendum.* 267, 19 *te consulibus tuis arridente.*

Artare XII: 300, 19 *quam numero artarat annonam comparcendo laxabat*, h. e. pretium annonæ, quod numero magnum fecerat, comparcendo minuebat. XII: 279, 21 *iugera artata pomerio.*

Asciscere cum dativo iunctum pro *in* et accusativo VII: 163, 13 *adscitus imperio.* Cfr Ov. Pont. IV: 9, 127 *superis ascitus.* Præterea tribus locis invenitur VI: 153, 19. VII: 172, 16. XII: 281, 31.

Asperare pro *exasperare, excitare* X: 226, 30 *memoria acceptæ cladis non infracta sed asperata* (Tac. et poetæ.)

Aspirare uno loco cum accusativo iunctum i. s. q. *accedere* X: 215, 4 *quis – aspirare laudes tuas audeat.* Alii scriptores hoc verbum cum præposition. quæ sunt *ad, in,* hoc sensu coniungunt, quod invenimus IV: 117, 13. 124, 30. IX: 203, 15. XI: 258, 2. XII: 299, 12.

Asserere i. q. *dicere, affirmare, probare* IV: 124, 20 *ratio etsi asserenda non est.* VII: 171, 7 *quæ tamen plerumque etiam a sapientibus asseruntur.* Cum acc. c. inf. invenitur XII: 285, 7 *asseruisti principis mentem tanto in suos benigniorem esse debere.* 308, 2 oratio recta sequitur. Perf. part. *assertum* substantivi loco usurpatur XII: 307, 27 *accipiamus utriusque partis asserta.* Idem sensus est apud postremos scriptores.

Contra i. q. *custodire, defendere* VI: 156, 10. XII: 271. 12. 298, 21.

Assertor i. q. *vindex, defensor* III: 104, 8 *perpetuus est virtutis assertor.* XII: 289, 9 *ille Romanæ libertatis assertor* (Ov. et script. arg. æt.).

Astruere pro *tribuere, addere* VI: 152, 17 *tibi sacrum istud fastigium divinæ potestatis astrueret,* quæ significatio etiam apud alios est ut Plin. pan. 41, 20. 70, 20. Tac. Hist. I: 78. Agric. 44.

Astus i. q. *dolus,* quod verbum poetæ antiqui in ablativo casu sing. num. nullo attributo addito adverbialiter usurpant, apud scriptores posteriores sæpe invenimus cum adiectivo coniunctum, ut II: 93, 12 *pari astu perdere.*

Attollere translato sensu i. q. *honore ornare, evehere* XII: 285, 16 *præfectus attollitur.* Cfr Tac. Ann. III: 72.

Attonere in perf. part. pass. insolentius ut apud poetas, Plin. maiorem rebus inanimis et abstractis additur V: 138, 10 *viros attonita feritate trepidantes.* XII: 308, 30 *attonitus stupor.* De hominibus dicitur V: 143, 22. VII: 176, 33. XI: 249, 20. 267, 19. XII: 305, 18.

Attrectare translatam vim nisi his locis non habet: *dicendo attingere* X: 215, 7 *cum virtutes tuas attrectaverit.* XII: 313, 25 *præteritas res tuas attrectasse fas fuerit.*

Auctoramentum i. q. *merces* XII: 311, 2 *nisi tui se auctoramenti finxisset actorem* (conj. Bæhr.). V: 141, 4 *auctoramentum tanti discriminis.*

Auditorium metonymice pro *auditoribus* IV: 125, 27 (Plin. ep. Suet. Apul.).

Augmentum verbum apud scriptores poster. æt. imprimis apud iurisconsultos usitatissimum invenimus XI: 256, 22 *nihil speranti mihi de honoris augmento.*

Auspex cum genitivo coniunctum i. q. is, qui alci rei felix initium est vel dat, duobus locis V: 134, 6 *o kalendæ Martiæ — æternorum auspices imperatorum.* XII: 272, 32 *ille felicitatis publicæ auspex dies,* ut XII: 272, 31 *auspicium sermonis huius* i. fere est atque *initium.*

Auspicalis II: 94, 3 *illum primum consulatus tui auspicalem diem,* h. e. dies, qui pro auspicio est, qui alqd portendit.

Auspicari ab alqo h. e. *initium facere* VI: 151, 17 *ab ipsis eorum regibus auspicatus es.* Suet. Sen. verbum cum infinitivo quoque iungunt. Cum accusativo IX: 209, 12 *bellum auspicatus.* Perf. part. *auspicatus,* ab *auspicare* (act. forma) derivatum, quod arg. æt. atque etiam in superlativo usitatum est, i. s. q. *felix* XI: 246, 2 *auspicatissimo die.*

Austrinus pro *australi* XII: 274, 5 *austrinis obnoxia æstibus.* Verbum apud Plinium maiorem usitatum.

Avere, cuius verbi scriptores solutæ orationis aureæ ætatis nullis aliis formis quam imperativo et infinitivo utuntur et imperativus legitur XI: 267, 7 et 27 atque infinitivus XI: 267, 30 insolentius etiam in temporibus præs. et fut. ind. invenimus XI: 267, 28 *aveo plane, imperator, et avebo,* ubi verbis proximis: *ave, consul amplissime,* respondent.

Beare V: 135, 4 *salutari beatis luce provincias* (Plaut. Ter. Hor.)

Bicornis de Rheno amne dictum VII: 169, 2 ut Virg. Aen. VIII: 727 et Ov. Met. XI: 763 de Granico.

Biformis II: 92, 24 *monstrorum biformium* (Poetæ, Tac. Justin.)

Cæsim proprio sensu usurpatum XII: 303, 24 *punctim cæsim ferire* (Liv. Suet. Veg. Sen.)

Calendarium, vox a Seneca primo usurpata, reperitur VIII: 183, 16.

Calere gaudio III: 110, 20 poetice dictum.

Caligare de oculis vel acie usurpatum X: 222, 23. 223, 27, ut apud Cels. Plin. poetas.

Calumniare *in* et accusativus pro accusativo solo

(Cic.) sequitur XII: 297, 20 *calumniabantur in sanguinem.* Lexica nullum eiusmodi exemplum ostendunt.

Calumniosus, verbum ab Ulpiano et Arnobio primis, quod sciamus, et postea ab Augustino quoque usurpatum, invenitur X: 243, 28 *veterum calumniosæ ambages recisæ.*

Candor pro *integritate, sinceritate* XII: 287, 27 *summo purissimæ mentis candore* (Ov. Velleius, Plin. pan. 79, 1.)

Canere laudes et gratias agere alci II: 90, 6 et III: 101, 23. Cfr. III: 110, 21 alci *laudes gratesque cantari.*

Canities pro *canis capillis, senectute* metonymice dictum XI: 257, 29 (Virg. Hor.)

Capere ultionem de alqo III: 115, 11 i. q. *ulcisci* alqm, poenas ab alqo petere (Script. post. æt.)

Captus translate dictum, quod scriptores optimi nisi in locutione: ut captus est aliquorum, non usurpant, a Gellio et Apuleio et posterioribus etiam cum præpositione quæ est *pro* aut *supra* iungitur, quod invenimus IV: 129, 4 *pro suo quisque captu.* In accusativo casu vox scripta est obiecti loco X: 230, 13 *quod captum suum temperat* (sc. virtus.)

Cataphractus i. q. *homo qui lorica tegitur* X: 230, 20 *cataphractos equites.* 231, 18 *visis cataphractis* (Liv.)

Catenatus X: 237, 8 *importunitas catenata* (Hor. Ov. poster.)

Cernere imperium hereditarium VI: 152, 13 i. s. q. *constituere imperium hereditarium acceptare.* Cfr hereditatem cernere (Cic. Liv. iuriscons.)

Circumcidere IX: 194, 31 *transfugis circumcisus,* h. e. *nudatus maxima parte militum, quum ad hostes transfugissent.*

Circumferre III: 115, 19 *quod — circumfert sermo* (coni. Bæhr.) Cfr Plin. ep. 3, 11 circumfert alqd fama.

Civilis i. q. *comis, facilis, communis* XI: 266, 14 et 27. Hic sensus apud scriptor. arg. æt. usitatissimus est.

Cohærere alci rei de locis insolenter dicitur VII: 175, 10 *Massilia — terræ cohæret.* V: 147, 15 *nationes terminis eiusdem insulæ cohærentes* (Plin.).

Collativus, quo verbo Plautus utitur de ventre, in quem cibus omnis generis congeritur, post eum a nullo ante Nazarium scriptore usurpatum videtur. X: 228, 2 *dum collativam vim comparant, compendiosam victoriam præstiterunt,* h. e. *a compluribus collatam, communem.* (Macrob. Cod. Theod.)

Comitium translate dictum XI: 256, 9 *versari coepit in sacri pectoris comitio consulatus.* Cfr Apuleii locutionem quæ est: cogitationum comitium.

Commendator X: 216, 25. Vox minus frequens est. Singuli loci apud Plin. ep. Vopisc. Symm. afferuntur.

Commilitium XII: 300, 4 *commilitii munus indulges* (e coniectura Bæhrensii. Cod. W. præbet commilitũ munus, ceteri commilitum unus). Vox apud scriptor. arg. æt. usitata. Fortasse codicum lectionem retinere possumus, quo facto legamus: commilitum munus. Commiles etiam in Murat. inscript. reperitur.

Comminus, quod plerumque de pugna dicitur, post tempora Augusti etiam aliter scriptores usurpant, ut II: 97, 19 ab alqo *comminus accipere.* III: 110, 23 alqm *comminus invocare.* III: 111, 21 *ad intuendum comminus accedere,* h. e. coram.

Communicare, quod verbum script. aureæ æt. cum accusativo et præpositione quæ est *cum* et ablativo iungunt [1], posterioribus ætatibus sæpius accusativum

[1] Lexica paucos locos afferunt, ubi communicare apud Cæsarem et Livium cum dativo iunctum sit; sed his locis aut aliud verbum antecedit, quo dativus referendus est, quam ob rem dativus per figuram quæ vocatur Zeugma etiam ad verbum sequens refertur, ut Cæs. de bell. Gall. VI: 13 neque iis petentibus ius redditur neque honos ullus communicatur, et VI: 23 iis omnium domus patent victusque communicatur, aut præpositio quæ est cum excidit, ut Cæs. de bell. civ. III: 18 quibus communicare de maximis rebus consueverat, ubi cum ante communicare facillime

et dativum sequi videmus, ut II: 97, 7 *illos – minus mirum fuisset exiguam sibi communicasse regionem.*

Comparcere XII: 300, 18 *annonam comparcendo laxabat.* Plaut. Ter. singulis locis, postea script. postremæ ætatis, ut Fronto, Solinus, verbo utuntur.

Compendium sæpe reperitur II: 91, 17 *compendio orationis meæ.* IV: 124, 30 *compendia laudis.* 141, 15 *novo itineris compendio.* VII: 160, 25 *illud compendium faciam quod – dicabo.* 169, 7 *compendium est – duces sustulisse.* VIII: 183, 12 *compendium pacis.* 187, 6 *instrumenta – per compendia – occursura.* IX: 206, 4 *aliquod cædis compendium.*

Compendiosus, quod apud Columellam solum idem est ac fructuosus, ut apud Apul. i. s. q. *in compendium redactus, brevis* X: 228, 3 *compendiosam victoriam præstiterunt,* h. e. victoriam de compluribus gentibus uno proelio reportatam, ut Forcellini convertit. Præterea apud Prud.

Competere i. q. *convenire* alci, *deberi* alci VII: 162, 22 *quin ei competeret hereditas quem – fata tribuissent.* Etiam comparativa forma part. præs. VI: 153, 17 *quid enim competentius – facere potuisti.* (Dig. Apul. Gell.)

Compos votorum III: 107, 15 i. q. is, qui assecutus est quæ sibi proposuit. Cfr Suet. Aug. 58. Ov. ars amat. 1, 486. Præterea compos reperitur X: 241, 16 *tantorum Roma compos bonorum.*

Conditrix IV: 123, 19 *Athenarum conditrix Minerva.* Vox rarissima, quæ apud Apul. Macrob. Tertull. apparet.

Conducere vi intransitiva usurpatum, i. q. *prodesse,* et cum dativo et cum præpositione quæ est *in* et acc. coniungitur XII: 289, 29 *non parti, sed in commune conducunt,* quæ iuncturæ pariter apud scriptores meliores

---

omissum est. Quod ad Liv. XXII: 27 attinet, quem locum Forcellini laudat: sibi communicatum cum alio, non ademptum imperium esse, illud verbum quod est sibi nihil nisi dativum agentis esse apparet.

in usu sunt. Cfr Tac. Ann. II: 38 quod in commune conducit.

Conferre dexteras, quod plerumque significat: manum conserere cum hoste, i. est ac *dextram, manum* alci *dare* II: 96, 14 *invictas dexteras contulistis.* Cfr dexteram ferre (Justin.) et VI: 149, 13 *dexteras – iunxisse.*

Confiteri XII: 291, 21 *dedignatus antea confiteri hominem iam fatetur timorem.* Cfr Virg. Aen. II: 591 confessa deam. Præterea XII: 308, 28 *si – se confessa mors fuerit,* velut *fateri* XII: 290, 2 *exspectantibus populis te fateris,* et 307, 12 *se divina mortalibus dedignantur fateri,* h. e. *se ostendere.* (Ov. Quint. Plin. ep.).

Conflictus i. q. *pugna* XII: 301, 29 *testis es – testis pulcherrimi – conflictus, si conflictus ille dicendus est.* Ita etiam apud script. recent.

Congestio per translationem dicitur XI: 262, 17 *nova prorsus fuit honorum deferendorum et insperata congestio.* Eodem modo voce Macrob. et Augustin. utuntur.

Congredi insolenter cum dativo iungitur poetarum modo pro præpositione quæ est *cum* et abl. IX: 199, 17 *redeunti illi minore exercitu congredi – maluisti.*

Congressio i. q. *congressus* (Cic. Cæs.), *pugna,* quo verbo script. poster. æt., maxime Justin. sæpissime utuntur, invenitur X: 219, 20 *felici congressione.* X: 222, 2. 228, 29. *Congressus* autem X: 232, 27.

Coniectatio pro *coniectione* vel *coniectura* XII: 275, 25 *nec difficilis coniectatio est.* 299, 19 *quæ certissima coniectatio est.* (Plin. maior et Gell.)

Coniungere amnem nando XII: 302, 3 idem est ac ripas amnis nando coniungere, amnem nando transmittere.

Connexio semel eundem sensum ac *coniunctio* habet X: 218, 13 *conexio inter se apta virtutum.* Ita apud alios script. recent., ut apud Ambros. Serv. Apul. Quint. primus vocem usurpat pro *consecutione.*

Consortium pro *consortione, societate* XI: 260, 1 *a consortio humani generis extorres* (Liv. poster.)

Constipatio X: 235, 8 *quod eam* (sc. aciem) *nec constipatio contraxisset nec longitudo tenuaret.* (Amm., August. Vopisc.)

Consummatio i. q. *perfectio* IX: 198, 16 *auspicium victoriæ tuæ pro consummatione metiebantur* (Sen. Plin. maior. Quint.)

Contagium pro *contagione* X: 224, 2 *mortalis visus contagium refugerunt.* 232, 12 *totum in exercitum timoris contagium dissiparat.* (Poetæ, Plin.). Contra *contagio* X: 225, 26 *a mortali contagione.* De igne dicitur X: 229, 16.

Contemplatus in abl. casu positum per translationem i. s. q. *respectus* VIII: 171, 3 *cum eum contemplatu tui cogamur — revereri.* Eandem vim vox apud Macrob. habet, quum apud Ovid. idem sit ac contemplatio, obtutus.

Contente pro *continenter, severe* X: 224, 26 (e coniectura Livineii) *restricte contenteque vixerunt.* XII: 283, 10 *imperatorem parce contenteque viventem.* Ita Plautus in fabula quæ Asinaria inscripta est.

Contestari in perf. part. maxime insolenter passivam vim habet: *testato dici, affirmari* IV: 117: 25 *contestatum esse — volo temporarium me dicendi munus — involare.* Apud iurisconsultos quoque significat: affirmare.

Contiguus XII: 293, 15 *proximus urbis Italus et contiguus — Hispanus* (Poetæ, Plin. maior, Tac. Amm.). Fortasse etiam VII: 178, 17, ubi codd. præbent *digna*, sed Bæhrens *contigua* coniecit: *video basilicas — in tantam altitudinem suscitari ut se sideribus et cœlo contigua et vicina promittant.*

Continuari, quod plerumque cum dat. ut apud Liv. Ov. iunctum est, acc. regit XII: 303, 25 *quos cursu non poterant continuari*[1], *iaculis occupare* h. e. *assequi.* Cfr Apul. Met. 1. Inde me egredientem continuatur Pytheas, et Sisennam apud Non. 2, 191 adque Aenariam suos continuatur. Activa forma *continuare victorias* IX: 204, 23 i. q. *victoriam victoriæ continuare.* Cfr IX: 209, 21 *bellis bella continuas.* X: 214, 6 *continuatos fructus ferunt.* XII: 306, 21 *spatio lucis unius Illyrico* (dat.) *continuavit Aquileiam,* h. e. ex Illyrico Aquileiam ivit.

Convena adiectivi loco cum adverbio iunctum usurpatur VII: 175, 12 *Italos illuc convenas* (Plaut. Amm. Solin.).

Converrere, i. q. *colligere* translate dicitur XII: 295, 6 *quidquid undecumque converrerat.* Præterea lexica afferunt Cic. off. III: 19, 78, ubi tamen dubium est an *convertere* legendum sit.

Convexus IV: 131, 12 *convexa Rheni cornua* (e coniectura Bæhr. Codd. habent: connexa). Cfr Plin. 11, 37, 41 convexa cornua, quod Forcellini interpretatus est: curvata in morem fornicis, mucronibus eorum invicem spectantibus.

Convulsio vox sæpissime a medicis pro contractione membrorum usurpata IX: 193, 9 *imperio Romano — ex diuturna convulsione solidato,* h. e. *labefactatione* (Quint.)

Copiam habere VII: 176, 17 *si prima copiam habuisset irruptio.* Cfr Sall. Jug. 111 i. q. in potestate sua tenere alqm. *Copiam facere* VII: 166, 9 *cum primus copiam tui fecit egressus.*

Cornu i. q. *brachium amnis* IV: 131, 12 *convexa Rheni cornua.* VII: 170, 11 *in duo cornua gestit excedere* (sc. Rhenus). Hic usus poetarum fere est.

---

[1] Sic enim lego, primum quod cod. A. continari, codd. B. V. contineri, passivas formas, præbent, deinde quod passiva forma in exemplis ex Apul. et Sisenn. allatis, ubi verbum idem significat, scripta est. Præterea alii aliter correxerunt.

Coruscus vox apud script. solutæ orationis rarissima X: 224, 5 *umbones corusci.* 235, 29 *corusca luce gemmarum.*

Crepitare vox fere poetica XII: 310, 1 *crepitantia torto angue flagra.*

Crudus de rebus translate usurpatum ut apud poetas X: 242, 3 *cruda adhuc hieme,* h. e. *aspera.*

Culta pro *agris* II: 92, 29 (Poetae, Liv. Plin.)

Curiose i. q. *diligenter* VI: 153, 6. Præterea VIII: 189, 1 i. q. *studiose, cupide,* qui sensus etsi rarior est, tamen semel apud Suet., bis apud Cic. exstat, ubi in comparativa forma vox posita est. *Curiosus* XII: 275, 24 *diligentiam curiosam.* 312, 15 *curiosæ posteritatis oculis,* h. e. *studiosæ, avidæ.*

Curulis (sc. sella) XII: 279, 16. Hæc ellipsis ætate arg. usitatissima est. Cfr Plin. pan. 54, 12. Tac. alios.

Decennium i. q. *tempus decem annorum* X: 214, 3. 243, 15. Apul. eadem vi verbum adhibet.

Declaratio vox rarior XII: 277, 2 *an vero quicquam putamus in imperii tui declaratione præteritum.* Cfr declarare consulem, regem (Cic.). Cicero duobus locis verbum usurpat: Fam. 15, 21 declaratio amoris. 10, 5 animi, i. q. ostendere morem, animum.

Decolor, vox fere poetica proprio sensu cum abl. iuncta XII: 302, 18 *spumat decolor cruore fluvius.*

Decoqui translate dicitur XI: 262, 14 *cum ager assiduitate fructuum in maciem decoquatur,* i. q. *macer et effetus fiat.* Cfr Sen.: decoquere corpus atque exinanire.

Defæcare translate usurpatum X: 238, 19 *nec, ut primum liberum, continuo defæcatum est* (sc. gaudium), h. e. *a fæce purgatum, sincerum.* Plautus: animus defæcatus. Macrob.: mens defæcata.

Deflectere absolute vel intransitive dictum insolentius pro *deflectere oculos* ab alqa re (Livius) X: 216, 22 *nihil ab eius contemplatione deflectunt.* (Cic.: deflectere a veritate.)

Deflexus per translationem dicitur IV: 130, 11 *diversissimus enim ad utramque sectam deflexus est.* Ita Val. Max. Columella autem semel proprio sensu verbum usurpat.

Degere (sc. vitam) V: 141, 27 *quibus Romæ degentibus triumphi — proveniebant.* (Hor. Plin.)

Densitas per metonymiam dicitur pro *densa vi* III: 103, 9 *perque illa saxa et duriorem saxis nivium densitatem.* IX: 207: 4 *tanta te populi densitas — provehebat* (Plin. Col. Amm.)

Depasci, verbum deponens, translate usurpatur, ut apud poetas, X: 214, 20 *gratulationes — cogitatio avida depascitur.*

Deprædari i. q. *depopulari* (Cic.) V: 138, 4. Præterea Justinus et Apuleius voce utuntur.

Deprædatio, vox rarissima XI: 245, 10. (Lactant. Augustin. Juriscons.)

Derigescere i. q. *rigidum, immobilem fieri* XII: 288, 4 *mater — filio reduce quem flebat, deriguit in mortem.* Vox fere poetica est.

Derivatio per translationem insolenter dicitur XII: 271, 23 *his ostentare facundiam quorum de fonte manantem in nostros usque usus derivatio sera traduxit* (Macrob.)

Derogare cum dat. rei iungitur IV: 126, 6 *nec putes — ante partis aliquid tuis honoribus derogari.* (Cic. cum dat. personæ coniungit).

Devenustare i. q. *venustatem* alci *adimere, deformare* XI: 248, 23 *oris nitorem alte inpressis cicatricibus devenustare* (Gell. Auson. Sidon.)

Devius i. q. *vagus, stultus, demens,* quæ significatio etiam apud Ciceronem aliosque exstat, VI: 157, 26 *currum devio rectore turbatum.* X: 234, 21 *animum iam metu devium.*

Dilectus, i. q. *electio, iudicium* X: 229, 27 *animus — dilectum boni non habet.* XII: 275, 10 *cum — impediat turba dilectum.* XII: 284, 24 *cum duplex fuerit*

iste dilectus. Idem fere est ac *conquisitio militum* V: 138, 21. 140, 19. IX: 196. 8. Insolenter translate dicitur IV: 120, 18 *inter illas imperatorias dispositiones, longe maioribus summæ rei publicæ gubernandæ provisionibus occupati, litterarum quoque habuere dilectum,* ubi litteras cum militibus confert. Contra maxime insolenter i. s. q. *amor* IV: 128, 14 *cum mihi — etiam proprius quidam sit erga Mæniana illa ex maiorum meorum recordatione dilectus,* quæ vis apud Chalcid. Tim. 135 exstat.

Diluvium pro *inundatione,* proprio sensu II: 95, 8 *quando non cum securitate nostra illius* (Rheni) *diluvia creverunt.* Translate dicitur XII: 273, 8 *barbaris nationibus Romano nomini velut quodam diluvio superfusis* (Poetæ, Plin.)

Dimetiri in part. perf. passivam vim habet XII: 283, 6 *vix necessarium usurpando dimensum,* ubi substantivi loco positum est.

Discursus de rebus inanimis usurpatur IX: 202, 3 *dum bellorum — discursum apparatumque describit.* Contra proprio sensu III: 103, 3 *ipsa vis divinitatis — vos tantis discursibus toto — orbe deducit.* VI: 149, 1 *Fama — discursus volucres mutuata.*

Dispendiosus i. q. *malus, damnosus* X: 217, 25 *dispendiosa revocatio.* Præterea vox apud Col. Cassian., in Cod. Theod. invenitur.

Dispendium pro *damno* XI: 252, 20 *cuius miraculi est neminem ullum in tanto rerum paratu sensisse dispendium.* Vox apud poetas, Plin. Col. posteriores usurpatur.

Dispensare insolentius usurpatur XII: 314, 18 *quæ reversus urbibus Galliarum dispensabo miracula,* h. e. *narrando dispensabo,* singulis urbibus narrabo.

Distentus i. q. *fartus, plenus* IX: 211, 5 *Francum — carne distentum.* VII: 167, 1 *multitudo lacte distenta.* (Poetæ, script. arg. æt., Plin. pan. 43, 31.)

Doctus poetice de rebus inanimis dicitur XII: 311, 18 *doctarum noctium.*

Domitare pro *domare, subigere* de hominibus usurpatur XI: 248, 2 *barbaros domitet.* Ita Silius. De animalibus Virg. Plin. Curt.

Dotare, idem fere quod *donare,* translato sensu XII: 278, 15 *quos etsi plurima laude dotaverit amplificatrix veri vetustas.*

Ducere XII: 311, 27 *hæc gesta sollertes manus ducant.* 312, 21 *clementia tua — quo ære aurove ducetur.* Cfr Virg. Aen. VI: 849 vivos ducent de marmore vultus. Insolenter XII: 273, 14 *aliorum vulnerum cicatrices, postquam cutem sanitate duxerunt, manu pendente tractabo,* h. e. postquam vulnera coierunt, sanata sunt.

Eblandiri in perf. part. passiva significatione usurpatur VII: 173, 11 *cui non eblandita nec vendita servit adulatio.* Ita Cic. Planc. 4. Plin. pan. 67, 1. Gell.

Eboratus vel *eburatus,* quæ vox rarissima apud Plautum duobus locis, Varr. Lamprid. invenitur, XII: 300, 28 *eborata navigia.*

Effrenus, i. q. *effrenatus* (Cic.), apud Livium semel proprio sensu dictum translate adhibetur III: 114, 23 *gens effrena Maurorum.* XI: 267, 27 *gaudia effrena.* X: 231, 12 *effreni dolore,* quo loco tamen ab altera forma derivari potest, quæ est *effrenis,* quod translate usurpatur X: 240: 30 *populi Romani vis illa — licentia effrenis.* Verba apud poetas frequentia sunt.

Effundere se. Ad hoc verbum insolenter subiecti loco res apposita est V: 146, 9 *obvius sese maiestati tuæ triumphus effudit,* h. e. *triumphantes.* Contra VIII: 186, 18 *unde se tibi tanta obviam effunderet multitudo.*

Eloquium, quod sæpe, imprimis a poetis pro eloquentia usurpatur, hoc uno loco idem est quod *colloquium* II: 96, 15 *adeo fidum illud fuit fraternumque eloquium.* Sed IV: 128, 24 *non civitate Atticum, sed eloquio,* h. e. *lingua.*

Eluctari intransitivam vim habet X: 236, 9 *vix eluctantibus gurgitibus.* Cfr Virg. G. 2, 244 aqua eluctabitur omnis. Transitivam vim habet VII: 174, 27 *eluctati Araris moras.* (Tac. Liv. poetæ.)

Emereri verbum dep. cum acc. personæ semel invenimus XI: 259, 29 *eum assiduis obsequiis emerebantur,* h. e. *demerebantur,* quod Rittershusius hoc loco coniecit. Activa forma: emerere alqm Ov. et Tibull. utuntur. Perf. part. activa vi XII: 280, 5 *vix emerita arma suspenderas.* Passiva vi VII: 162, 4 *stipendiis in ordine emeritis.*

Emergere de alqa re IX: 200, 26 *quidquid de sanguine profundæ cædis emerserat.* Cfr Liv. XXII: 3 cum de paludibus emersisset. Plerumque: ex alqa re.

Emetiri in perf. part. passiva vi usurpatur V: 134, 24 *emenso quater cælo.* VII: 162, 4 *militiæ gradibus emensis* (Cæs. Liv. alii). Præterea verbum invenitur II: 97, 9 *regionem quam emensus est.*

Emicare de personis pro *erumpere, prorumpere* XII: 292, 6 *mirmillonum agmen emicuit,* qui usus apud poetas, Plin. exstat.

Enatare vox rarior intransitivum et proprium sensum habet IX: 206, 19 *nec parricidam urbis passus es enatare.* (Hor. Sen. poster.) Transitiva vis est hoc uno loco XII: 306, 19 *tot fluminibus enatandis — fatigatus.*

Eruere i. q. *evellere, effodere* XI: 248, 30 *eruere oculos.* XII: 311, 7 *linguam radicitus erui.* 296, 15 *aurum de montium venis eruisset,* ut apud Suet. Plin. Sen. Poetice pro *evertere* (Cic.) XI: 254, 14 *domus erutæ.*

Evectio pro *exportatione,* vox infimæ ætatis (cfr Krebs. Antib.), invenitur VIII: 186, 3 *cum parvarum frugum nobis difficilior sit evectio quam ceteris plurimarum.* Nullum nisi hunc locum et Festum, ubi hanc vim habet, lexica afferunt. Cfr evehere merces (Plin.)

Evehere alqm *in amplissimum gradum dignitatis* XI: 260, 12 i. q. *extollere, promovere,* qui usus poetarum

et script. sol. orat. poster. est. Præterea XII: 285, 15 *dux aliquis evehitur.*

Exacerbare III: 105, 30 *non dico exacerbatas — redisse provincias.* Liv. primus hoc verbo utitur.

Exambire transitive proprio sensu usurpatur XI: 259, 30 *nec viros quidam, sed mulierculas exambibant.* Ita etiam Amm.

Exanclare translate dictum pro *perferre, tolerare* apud Cic. invenitur, sed in orat. sol. cum nulla voce, nisi ea quæ est labor iunctum, et præterea aliis locis poeticis. Quint. 1, 6 dicit hoc verbum ab ultimis et iam oblitteratis esse repetitum temporibus, quare illius ætate in usu non erat, sed postea, quum scriptores antiquum sermonem imitari studerent, vox in usum rursus venit, et præter Apuleium usurpatur X: 230, 16 *iuxta magnitudinem exanclandi operis erigitur* (sc. virtus). (Cfr Krebs. Antib.).

Exarmare, quæ vox argenteæ ætatis est, proprio sensu i. q. *armis nudatus* IX: 202, 8 *exarmatum hominem.* 208, 23 *exarmatam legionem.* (Tac. Luc. alii).

Exasperare, quod Liv. et post eum alii, imprimis rerum scriptores, sæpissime translata vi usurpant, invenimus VII: 168, 10 *ut mallent amicitiam colere Romanam quam exasperare iustitiam.* [1] XII: 284, 9 *exasperat homines imperata correctio.*

Excolere proprio sensu rarius de agris, i. q. *diligenter colere* V: 147, 26 *arva iacentia — Francus excoluit.* XI: 263, 1 *cum agrum non nostris manibus excolamus.* (Plin. Justin.)

Excutere insolenter pro *exprimere* XII: 310, 29 *nefario pectori excussa confessio est.* Cfr Hor.: excutere risum.

Exercitium pro *exercitatione* (Cic.) vox scriptorum optimorum non est, sed apud Tac. Sall. Vell. exstat. IV: 121, 15 *locum exercitiis illius* (sc. iuventutis) *dedicatum.* 130, 16 *ad hæc quoque litterarum exercitia respi-*

[1] Bæhrens coniecit: *tristitiam,* quæ coniectura nullam probabilem sententiam præbet. Alii aliter correxerunt, ut Götze: *exspectare iustitiam,*

ciunt. Semel de cultu agrorum V: 138, 19 *exercitio squalidus ruris* (e coniect. Bæhr.). Cfr exercere pinguia culta Virg. Aen. X: 141. Virg. G. I: 219 exercere humum in messem.

Exhalare, quod Cic. cum verbis quæ sunt vinum, crapula, poetæ et alii cum verbis quæ sunt flamma, fumus, vita iungunt, maxime insolenter usurpatur IX: 205, 25 *sacris illis ædibus diu exalatis expiatisque*, h. e. *a culpa exalatis, lustratis.*

Exponere cum dativo iunctum XII: 295, 10 *contortas fundo rates Tauromenitanis litoribus exponere.* Cfr Ov. Met. 11, 56 os Orphei peregrinis arenis.

Exsequi XII: 279, 6 *exsequebaris agricolam*, h. e. *ferebas sortem, fortunam agricolæ.* Cfr Cic.: exsequi fatum alcis. Ita etiam apud Plautum.

Exsequialis vox rarior, præterquam quod apud Ov. et Stat. singulis locis usurpatur, invenitur XII: 305, 1 *carmen exequiale.*

Exserere IV: 131, 19 *Britanniamque squalidum caput silvis et fluctibus exerentem*, idem quod *e* vel *a silvis exerentem*, ut apud Ov. XII: 296, 11 Bæhrens e cod. w legit: *nec enim – exerendis invigilabat metallis.* Sed in codd. melioribus scriptum est pro *exerendis exercendis*, quæ lectio quin melior sit dubium non est, præsertim quum nullum eiusmodi exemplum, in quo exserere hoc modo usurpatur, afferri possit. Cfr Tac. Agric. 31 neque enim arva nobis aut metalla aut portus sunt, quibus excercendis reservemur. XII: 302, 29 translate dicitur: *quanto exertiorem operam navabat tyranno frater tyranni*, h. e. *firmiorem, fortiorem.* Ita Amm. et Apul. participio utuntur.

Exsternare i. q. *perturbare* XII: 288, 1 *animos – perinde lætitia ut dolor – externat.* Vox paucis locis apud Ov. Catull. Apul. reperitur.

Extorris cum præp. quæ est *ab* XI: 260, 1 *a consortio humani generis extorres.* Cum genitivo XII: 299, 6 *orbis extorrem.*

Familiaris de rebus dicitur ut æt. arg. VIII: 185, 15 *ut Aquitanis – familiare est.*

Fascis XII: 301, 9 *iter sub armorum fasce carpebant.* Cfr Virg. G. III: 347 non secus ac patriis acer Romanus in armis iniusto sub fasce viam cum carpit. (Liv. Tac. Virg.)

Fatiscere translate ut apud poetas et script. arg. æt., i. q. *deficere* XII: 306, 3 *mens fatiscit.*

Fax, quod translata vi dicitur pro *stimulo, causa*, quum ad res malas pertinet, interdum apud poster. script. de rebus bonis usurpatur, ut II: 98, 26 *sic omnibus pulcherrimis rebus – Diocletianus facem*[1], *tu tribuis effectum.*

Feralis, i. q. *exitiosus*, quæ significatio paucis locis apud poetas æt. aur. argenteæque est, imprimis apud scriptores poster. exstat et invenitur X: 239, 11 *dominatio feralis*, et XII: 313, 17 *Alliensi die Emathia funestior, Cannis Collina feralior.*

Feriatus de rebus inanimis minus frequens est XII: 307, 17 *otioso feriatoque ferro.* (Plaut. Plin. ep. Prud.)

Ferocire i. q. *ferocem esse* V: 136, 26 *quia fluctibus ferociret* (sc. Neptunus). VII: 168, 12 *ut non solum inimici ferocire non audeant.* Verbum apud Apul. Gell. posteriores reperitur.

Festinus de rebus abstractis insolenter dictum XI: 269, 30 *festinæ benevolentiæ.* (Poetæ, Amm. Prud.)

Figere pro *transfigere* VII: 165, 26 *certis iactibus destinata fixerunt.* (Poetæ et script. arg. æt.)

Figmentum i. q. *simulatio* XI: 265, 23 *figmento lætitiæ* h. e. *lætitia ficta, simulata.* Vox poster. æt. propria est.

Figurare X: 236, 17 *facultas – sermonis – figurandi* h. e. *figuris rhetoricis exornare.* Cfr Quint.: figurare orationem. Non i. s. q. fingere, efficere sermonem, ut Klotz rem explicat.

---

[1] E coniect. Bæhr.; codd. præbent: facit. Alii aliter coniecerunt.

Flabrum vox poetica VII: 175, 3 *ut — ipsa quodammodo ventorum flabra præverterent* (coniecit Livineius).

Flammare pro *inflammare, incendere* translata vi apud poet. et Tac. invenitur. XI: 263, 9 *tu extincta iam litterarum studia flammasti.*

Fluctuare translate de hominibus more undarum aliis alios impellentibus dicitur IX: 207, 10 *certare innumerabilis multitudo et impulsu vario fluctuare.* Ita Gell. Tac. Hist. I: 40 agebatur huc illuc Galba vario turbæ fluctuantis impulsu.

Fluens i. q. *languidus, effeminatus* de hominibus usurpatur XII: 283, 18 *delicati illi ac fluentes.* (Quint. Sen.)

Fragrare i. q. *redolere* verbum poeticum est. II: 94, 23 *hanc urbem — auris fragrantibus — implesti* (Correxit Bæhrens; codd.: *flagrantibus*). (Suet. Apul.)

Frendere vox fere poetica est X: 237, 9 *furor vinctus et cruenta crudelitas inani terrore frendebant.*

Frustrari bellum VII: 169, 16 i. q. *ad vanum redigere, eludere* (script. arg. æt.).

Fulminare cum acc. iungitur IV: 131, 17 *te — perculsa Maurorum agmina fulminantem.* (Ita Sen. Plin. Lact. Claud.)

Fulmineus i. q. *fulminans* X: 219, 18 *fulmineus miles.* Vox apud poetas usitata.

Funebris vox a poetis et a Plinio usurpata pro *funesto, pernicioso* XII: 310, 23 *homo funebris* (e lect. edd. Codd. præbent: funeris).

Fuscare i. q. *obscurare, turbare* XII: 273, 11 *hanc gaudiorum præsentium lucem tristium commemoratione fuscare.* Vox poetica.

Gemma i. q. *poculum gemmis ornatum vel e gemmis factum,* poetice dicitur XII: 283, 21 *nisi æstivam in gemmis capacibus glaciem Falerna fregissent.*

Germen in num. plur. i. q. *proles* VI: 150, 6 *qui non plebeia germina, sed imperatoriam stirpem* (e cod. w) *rei publicæ propagatis.* Hanc vim apud poetas, maxime post. æt. habet. Contra i. s. q. *semen* X: 215, 22 *quorum in annis pubescentibus non erupturæ virtutis tumens germen — apparet.*

Gesta pro *rebus gestis* X: 214, 25 *gestorum ingentium.* 225, 16 *gestis* (dat.) *veterum.* XI: 250, 20 *tuorum principum gesta.* XII: 275, 10 *tanti viri gesta.* 299, 19 *colligamus gerenda gestis.* 311, 27 *hæc gesta.* Contra X: 226, 2 *rerum gestarum magnitudo.* 237, 27 *lætitiam gestæ rei.* Bis Corn. Nep.; Sisenna, Liv. Tac. In cod. Just. gesta i. s. q. acta forensia. (Cfr Krebs.)

Glomerare de hominibus ut apud poetas et Tac. dicitur XII: 302, 17 *alterum quisque complexi per abrupta glomerantur.*

Grandævus insolenter de rebus XI: 255, 20 *grandævum iam imperium videbitur.* (Val. Flacc. Aurel. Vict.)

Grandifer vox rara translata vi usurpatur X: 215, 24 *facta grandifera,* h. e. *facta quæ in se alqd grande ferunt, fructuosa.* Apud Cic. Phil. 2, 101, Mart. Cap. Itin. Alex. proprium sensum habet.[1]

Grassari absolute dicitur III: 113, 22 *fame passim morbisque grassantibus.* Ita Suet. Tac. paucis locis.

Gravare i. q. *onerare* XI: 262, 30 *pomis arbor gravatur.* Cfr Ov. Met. 13, 812 poma gravantia ramos. (Poetæ et script. arg. æt.)

Gressus pro *incessu* X: 230, 8 *sine impedimento gressus.* Vox poetica est.

Habitaculum i. q. *sedes animi* XII: 276, 15 *divinus ille animus — pro habitu suo fingit habitaculum.* Eadem vi Prud. et Augustin. verbo utuntur. Præterea apud Gell. Pallad. Amm. invenitur.

Hærere cum dat. iungitur, i. s. q. *assiduum comitem alcis esse* III: 108, 24 *qui vobis comites hærere potuerunt.* (Script. arg. æt.) Cfr Plin. ep. 7, 27 obtinenti Africam comes hæserat. Contra alio sensu VIII: 191,

[1] Bæhrens coniecturam Acidalii, quæ est *granifera*, accepit, quod verbum et ipsum semel invenitur Ov. Met. 7, 638, ubi de formicis dicitur. Sed hæc lectio nullam probabilem sententiam dat.

14 *cum in nullis reliquis hæreamus.* Absolute X: 220, 28 *hærere petulantiam videas.*

Haustus translate usurpatur II: 99, 5 *nisi si haustu terræ devoretur.* Cfr Quint. Declam. XII: 28 Dehisce terra, et hanc noxiam civitatem haustu aliquo ad inferos conde. Sed VII: 178, 3 *talis haustu et odore sinceritas,* h. e. *potu.*

Horrere XII: 303, 5 *et iam campus horrebat exercitu.* Cfr Virg. Aen. XI: 601 late ferreus hastis Horret ager. Ita sæpissime poetæ et Liv.

Horror de oratione insolentius usurpatur XII: 271, 20 *rudem hunc et incultum Transalpini sermonis horrorem.* Cfr Quint. VIII: 5 Veterem illum horrorem dicendi malim quam istam novam licentiam.

Hortatrix X: 240, 4 *cum – species luculenta non incitatrix licentiæ esset, sed pudoris hortatrix* (coni. Acidalius). (Pacuv. Stat. Quint. singulis locis.)

Hospitus vox poetica pro *peregrinus* XI: 250, 29 *urbes hospitas.*

Hosticum i. q. *terra hostilis* solum cum præpositione usurpatur VII: 170, 1 *in hosticum.* X: 237, 1 *ex hostico* (Liv. Plin. Amm.)

Humere verbum poeticum VIII: 187, 28 *vidimus misericordiam tuam umentibus oculis eminentem.* (Ov. Tibull. Sil.) Cfr Plin. pan. 69, 16 vidimus humescentes oculos tuos.

Illaboratus i. q. *sine labore confectus* XI: 263, 1 *hæc illaborata nascuntur.* Cfr Quint. XII: 10 Fructus illaborati offerunt sese. Vox rarior est et apud Sen. de terra dicitur eodem sensu atque incultus.

Illicitus VI: 156, 24 *tibi illicitam missionem.* (Script. arg. æt.)

Imbuere, quod cum abl. rei sæpissime iungitur, præpositio quæ est *ad* sequitur III: 107, 20 *etiamsi vos idem parens eademque mater ad istam concordiam naturæ legibus imbuissent.* Cfr Cic. Mil. 4 ad quam legem non instituti sed imbuti sumus, et Tac. Ann. XII: 32 imbuendis sociis ad officia legum.

Immorari V: 135, 6 *quibus ego si omnibus immorari velim.* VIII: 183, 25 *rebus tristioribus immorari.* X: 228, 4 *debitis laudibus immorari.* XII: 275, 1 *virtutibus prædicandis immorarer.* Ita Col. Plin. Cels. Quint., qui verbum etiam cum præpositione quæ est *in* coniungit.

Immunis i. q. *vacuus* X: 230, 24 *immunis vulnerum.* Vox apud poetas et script. arg. æt. et cum gen. et cum abl. et cum præpositione quæ est *ab* iungitur.

Immurmurare vox fere poetica absolute dicitur VI: 158, 12 *residuus undarum pulsus immurmurat.* (Cic.: murmuro.)

Impatiens cum gen. aut cum inf. semper iungitur, sed si coniecturam Puteani non dubiam existimamus, *ad* et gerundiv. sequitur III: 112, 1 *impatientes ad dissimulandum indicium perturbationis.* Cum gen. VII: 170, 11 *alvei unius impatiens* (Rhenus). Absolute XII: 304, 19 *ut est omne desiderium post spem impatientius.* Vox arg. æt. ut

Impatientia III: 104, 31. 108, 12. IX: 200, 29. XII: 289, 1.

Impensus pro *sumptu* XI: 253, 14 *impensus epularum* (e coniect. Bæhr.). Symm. solus voce semel utitur.

Impervius XII: 302, 15 *impervius ripis amnis* (Ov. Val. Flacc. Tac. Quint.).

Impiare, qua voce Plaut., postea Sen. Apul. Prud. utuntur, invenimus XII: 297, 27 *cæremonias quas incestaverant mentibus etiam corporibus impiabant.* XII: 310, 23 *ne oculos istos omnibus salutares homo funebris impiaret.*

Implicare insolenter usurpatur XII: 305, 21 *ipsos viæ implicabat errores.*

Imputare VIII: 181, 30 *imputavere se origine fabulosa in Sicilia Mamertini,* h. e. *se iactavere.* IX: 208, 7 *salutem — non imputasti.* (Script. arg. æt.)

Imponere alci pro *decipere* XII: 287, 7 *nec imponi neglegentibus arbitreris.*

Inaccessibilis III: 109, 18 *illa quæ tunc aliis fuerunt inaccessibilia superastis.* Lexica præterea afferunt Tertullianum. Idem significat quod

Inaccessus, h. e. *is, ad quem accedi non potest,* VI: 154, 21 *inaccessis montium iugis.* XII: 291, 5 *gentes — æternis ardoribus inaccessas.* (Virg. et script. arg. æt.)

Incentivum, i. q. *stimulus* IX: 193, 13 *Spartanæ tibiæ incentivum aliquod feruntur habuisse.* (Amm. Arnob. Prud.)

Incestare pro *contaminare* ut apud poetas dicitur X: 220, 3 *ne — laudes.— sermo talis incestet.* XII: 294, 7 *quid ita hic publicum atratus incestat.* 297, 27 *cæremonias incestaverant mentibus.*

Incitatrix X: 240, 3 *incitatrix licentiæ* (Arnob. Lactant.)

Incitus XI: 251, 10 *ad incitas intolerandi tributi mole depressi,* h. e. *ad extremum redacti.* Apud Plaut. primum vox invenitur; etiam Lucil. bis (ad incita), Apul. usurpant verbum.

Inclementer vox a Plauto, Liv. Plin. Amm., sed non a Cic. usurpata reperitur XI: 246, 23 *inclementer et impie cogitata.* Comparativa forma apparet XII: 291, 20 *quidquid — inclementius fecit.*

Inclementia pro *asperitate, immanitate* III: 109, 13 *inclementiam locorum ac siderum.* V: 140, 29 *inclementiam maris.* Vox apud Virg. Stat. Justin. in usu est.

Incolere maxime insolenter pro *accolere* usurpatur XI: 250, 12 *omnes urbes quæ Danuvium incolunt aditæ.*

Incomitatus III: 109, 26 *Hercules — incomitatus.* (Varro, Ov. Sil. Lucr.; apud Cic. de orat. I: 55, 234 codd. vocem præbent, quæ tamen maxime dubia lectio est. Cfr Sorof. Cic. de orat.)

Incumbere cum dativo iunctum poetice dicitur pro præp. quæ est *in* et acc. (Cic.) VII: 174, 26 *incubuere remigiis.* Cfr Virg. Aen. V: 15 validisque incumbere remis, et Juv. XV: 128 et brevibus pictæ remis incumbere testæ.

Incurrere, quod plerumque *in* præpositionem et acc. aut dativ. habet, cum acc. solo iungitur VII: 171, 14 *sortem incurrisse fugiendam.* Ita Sulp. Sev. (venantium agmen), Paulus in sent. (periculum).

Incunctanter XII: 282, 10 *fidei incunctanter accedet.* Vox rara apud Apul. et Lactant. invenitur.

Indefessus i. q. *non defatigatus* VI: 159, 11 *indefessum ire.* VII: 174, 17 *indefessis corporibus.* X: 238, 27 *indefessa vis.* XII: 279, 29 *indefessa vertigo.* (Virg. Ov. Amm. Plin. pan. 14, 17.)

Indiscretus i. q. *indissolubilis, individuus* X: 218, 15 *inseparabilis et indiscreta permixtio* XII: 288, 27 *cum indiscreta felicium pedisequa sit superbia.* Vox arg. æt. et poster.

Indivisus vox non frequenter usurpata III: 106, 22 *indiviso patrimonio.* (Varr. Stat. Sil. Amm.)

Inesse verbum dativus ut apud Sall. Suet. poster. sequitur III: 106, 8 *inesse laudibus vestris alia maiora.* 108, 5 *geminum vobis — inesse consensum.* Contra IV: 126, 22 *quanta in his — litteris inest — vis atque permotio.* X: 231, 22 *in his armis tantam inesse violentiam.* Absolute V: 137, 28 *quæ plurima inerant perfugia silvarum.* Cicero: inesse in alqa re[1].

Infantulus X: 226, 16. Lexica præterea afferunt Apul. Met. 8 et script. eccl.

Infatigabilis vox arg. æt. III: 103, 1 *infatigabiles motus.* 103, 24 *infatigabili manu.* 104, 23 *ad infatigabilem consuetudinem laboris atque patientiæ.* (Plin. maior, Sen. Val. Max.)

---

[1] De loco Ciceronis qui est De off. I: 42, 151 quibus artibus aut prudentia maior inest aut utilitas quæritur, vide ÖSTLING: de elocutione C. Sallustii Crispi, pag. 36 not.

Inflammatio proprium sensum habet X: 229, 15 *cum — portarum inflammatio ignem late distulisset.* Ita Cic. et Florus singulis locis.

Influere insolenter cum dativo propria vi iungitur XI: 252, 10 *aquas oppidis influentes.* Ita Quint. Sen. pro eo quod est *in* sequente accusativo, sed translato sensu.

Infundere cum dat. III: 113, 7 *mentem toto* (dat.) *infusam esse mundo.* (Script. arg. et poster. æt.)

Ingenitus, quæ vox semel apud Cic. reperitur, III: 104, 19 *ingenitum illum vobis divinæ mentis ardorem.* XI: 265, 22 *ingenita crudelitas.* XII: 271, 18 *pro ingenita facultate.*

Ingenium de rebus inanimis dicitur XI: 252, 12 *pro terrarum ingeniis.* (Virg. Plin. poster.)

Ingenuus proprium sensum habet, i. q. non manu factus VIII: 188, 10 *ingenui largique fontes.* Cfr Lucret. I: 230. (Prop. Juv. Auson.)

Ingerere præp. quæ est *in* sequitur XI: 262, 25 *quanta in me uno tempore Augustus ingessit.* Cum dat. iunctum XI: 263, 5 *opes atque divitiæ nihil laborantibus ingeruntur.* Utraque structura pari modo apud script. Latinos in usu est.

Inhonorus i. q. *honore vacans* XI: 268, 26 *ne inhonoros contemnerent.* Hoc verbum apud script. arg. æt. reperitur. Sed forsitan legendum sit, ut codd. meliores præbent, *inhonores,* quæ vox e Jul. Val. solo affertur.

Iniicere alqd alci rei proprio sensu V: 142, 30 *navibus iniecit ignes.* Cfr Krebs. Antib. (Liv. Flor. Tac.)

Innatare cum dativo ut apud Hor. et Plin. V: 137, 25 *subiacentibus innatat.* XII: 283, 21 *nisi hibernæ poculis rosæ innatassent.*

Inniti cum dat. VI: 156, 5 *tibi innixam.*

Innumerus, quæ vox a poetis et a posterioribus script. usurpatur, i. s. q. *innumerabilis* III: 115, 21 *innumeros successus.* X: 228, 1 *innumeræ gentes.* XII: 277, 19 *quæ innumera congruebant.* XII: 286, 5 *innumeris litterarum — monimentis.* XII: 311, 14 *inter innumeras manus.*

Inoffensus i. q. *non interruptus* X: 227, 5 *inoffensus victoriarum impetus.* (Poetæ et script. arg. æt.)

Inolescere in alqm X: 284, 7 *in omnes luxuriæ pudor, parsimoniæ cultus inolevit.* Absolute X: 216, 29.

Inopinus pro *inopinatus* XII: 272, 4 *inopina trepidatio.* Vox poetarum et script. rerum postremæ ætatis propria est. Semel Plin. pan. 26, 11. *Inopinatus* IX: 210, 1 *inopinato consilio.*

Inseparabilis ut a Sen. Sidon. Gell. Apul. usurpatur X: 218, 15 *inseparabilis et indiscreta permixtio.*

Insīdere cum dat. iunctum IX: 203, 8 *Roma — cui portentum illud insederat.* Cum acc. XII: 293, 10 *terris, quas illa pestis insederat.*

Insimulator i. q. *accusator* XII: 310, 23 *nisi — te purgare eodem teste quo insimulatore voluisses.* Præterea Apul. solus vocem usurpat.

Insinuare XII: 246, 7 *ut plane in ambiguo sit utrumne te magis nostris mentibus virtus an optutibus vultus insinuet.* Cfr Plin. pan. 57, 32 hoc est quod penitus illos animo Cæsaris insinuavit.

Instaurare, quod apud Cic. et script. optimos idem est ac repetere, apud Plin. et poster. significat *reparare, reficere* IV: 118, 26 *cetera quæ instaurantur opera ac templa.* XI: 250, 13 *levati status instauratæque fortunæ.*

Insulanus i. q. *is qui insulam incolit* XII: 292, 12. Verbum rarissime exstat et substantivum est Cic. N. D. III: 18 et adiectivum apud Serv. et Sidon.

Insultare absolute et translate dicitur V: 138, 15 *insultare hercule communi Galliarum nomine libet.* X: 235, 28 *quos trabalis hasta deiecit, insultans ecus proterit,* quamquam hoc loco proprium sensum habere potest. IX: 198, 1 *non insulto, sed doleo.* Cum dat. V: 137, 1 *insultavit elemento.* VII: 169, 27 *reliquiis afflictæ gentis insultas.*

Intectus i. q. *non tectus* XI: 254, 30 *intectis verticibus.* (Tac. Sall. Amm. Apul.)

Interdicere, quod a script. opt. cum dat. personæ et abl. rei iungitur, duobus locis, ubi tamen constructio passiva est, ut apud Liv. Justin. Suet. Ov., cum dat. personæ et acc. rei coniungitur XI: 254, 14 *interdicta posteris nomina.* XII: 291, 13 *dicam interdictum Scythis Tanain.*

Interfluere accusativo sequente V: 137, 18 *regio — quam obliquis meatibus Vahalis interfluit,* ut apud Plin. Curt.

Interfundere vox apud poetas usitata XII: 291, 6 *interfusis æquoribus.* (Plin. pan. 16, 1.)

Interpolatrix, quod Tertull. et script. eccl. soli usurpant, reperitur X: 225, 10 *veri interpolatrix.*

Intervellere proprio sensu VI: 156, 12 *solet terra ventis aut aquis subter immissis intervulsa sui soliditate nutare.* (Script. arg. æt.)

Intractabilis X: 242, 3 *iter gelu intractabile.* Cfr Justin. 24, 42 loca frigore intractabilia (Virg. et script. arg. æt.)

Intremere vox poetica pro *tremere* (Cic.) V: 135, 14 *trophæa Niliaca sub quibus Aethiops et Indus intremuit.* X: 215, 28 *terrorem paternum quo semper barbaria omnis intremuit.* 228, 9 *ut numquam virtus tua intremuerit.*

Intrepidanter pro *intrepide* (Liv.) VIII: 187, 21 *intrepidanter dicere* (coniec. Acidalius. Codd.: trepidanter aut trepidantem). Vox apud Nonium solum invenitur.

Intrinsecus vox rarior pro *intus* X: 217, 13.

Inundare translato sensu ut apud posteriores, imprimis Petron., X: 242, 9 *quæ — mite pectus inundarit gratulatio?*

Invadere cum acc. ut apud poetas, Suet. Sall. iungitur IX: 193, 31 *ut bellum — primus invaderes.* X: 235, 25 *invadis primus aciem.*

Invehere cum dat. pro eo quod est *in* et acc. (Cic.) coniungitur IV: 121, 2. Cfr Suet. Aug. 41, Liv. XXII: 5, 8.

Invigilare cum dat. pro *curare, operam dare* XII: 296, 11 *exercendis invigilabat metallis,* ut apud poetas. Cfr Plin. pan. 61, 31. Cic. Phil. 14, 20.

Invius vox a script. arg. æt. usurpata V: 136, 6 *sinum — invium navibus reddidisti.*

Invulnerabilis verbum tribus locis apud Sen. exhibitum X: 231, 14.

Irate apud Phædrum et Colum. singulis locis reperitur. XII: 304, 11.

Irritus gen. casu sequente de hominibus dicitur X: 214, 13 *cupitorum irriti non sumus.* Ita interdum apud Sil. Tac. Curt. Amm. Abl. *irrito* pro *frustra* adverbii loco usurpatur VIII: 189, 18 *id quod irrito petebatur.* Præterea Bæhrens legit IV: 119, 12 *cum latrocinio Bagaudicæ rebellionis obsessa auxilium Romani principis irrito rogaret,* pro lectione codd.: *irrogaret.* Num hæc coniectura probabilis sit, dicere nequeo; certe hoc loco vocem exspectamus, quæ significet: petere; sed

Irrogare, quod iungitur cum verbis quæ sunt multa, supplicium, poena, leges et de magistratu dicitur qui cum populo agit, apud nullum script. usurpatur pro rogare, petere. Contra solito sensu VII: 168, 11 *poena hostibus irrogata.*

Iactanter præter Tac. Amm. Prud. usurpat pan. IX: 194, 22.

Iactantia V: 136, 27. XII: 271, 21.

Iactitare XI: 256, 20 *si quis hoc lividus iactitat.* Præterea tres locos (Liv. Phædr. Sulp. Sev.) lexica afferunt.

Iugiter, i. q. *perpetuo* III: 113, 24 *exinde salutares spiritus iugiter manant.* VI: 157, 16 *facilius fuerat iugiter imperasse.* (Apul. Amm. Auson. Veget.)

Iunctim (Suet. Gell. Apul.) i. q. *coniunctim* (Cæs.),

coniuncte (Cic.) III: 111, 12 *quam iunctim sedent* (coniec. Bertini. Codd. *iuncti* aut *invicti.*) Apud Cic. ad Att. 5, 10, 15 hoc verbum coniecerunt edd. Præterea Gell. Apul.

Iurare et *periurare* alci VII: 172, 17 sq. Cfr Plin. pan. 64, 13.

Iuventas, quod plerumque Deam iuventutis significat, paucis locis poeticis idem est ac *iuventus* translate dictum (Lucr. Hor. Virg.) XI: 251, 28 *satis scire est — civitates — repentinam induisse novatis moenibus iuventatem.*

Laborare de rebus abstractis dicitur XII: 300, 26 *aput posteros videretur facti fides laboratura.* Ita Cic. Petron. Quint. Cfr Liv. XXXII: 39 veritatem laborare.

Lacer vox apud poetas et script. arg. æt. usitata XI: 251, 16 *laceræ nobilium domus.*

Lacrimabilis verbum poeticum pro *miserabili* XI: 251, 15 *in ruinas lacrimabiles.*

Lætari cum acc. pro abl. iungitur VIII: 181, 26 *plurima patris tui beneficia partim rebus effecta perceperunt, partim animo significata lætantur.* Sed causa fortasse est quod respondet verbo proximo, quod semper accusativus sequitur; ut Sall. Iug. 17 lætandum magis quam dolendum puto casum tuum. Tamen lexica alios locos (Claud. Fronton. Augustin.) afferunt, ubi acc. substantivi sequatur. Apud script. optimos obiectum est pronomen vel pronominale.

Lætus ex barbaris victis is appellabatur, cui ager dabatur colendus, ut tributum solveret. Verbum invenitur apud Amm. et in cod. Theod. in num. plur. Sing. autem num. codd. præbent V: 147, 24 *arva iacentia lætus postliminio restitutus et receptus in leges Francus excoluit.* Tamen Langius coniecit: *velut,* quod Bæhrens accepit.

Lassus vox fere poetica X: 232, 19 *spe iam lassa.* XI: 266, 7 *a liberatis Galliæ provinciis lassus.* Cfr Hor. Sat. II: 2, 10 equove Lassus ab indomito. Ov. Art. Amat. II: 712 lassus ab hoste. (Justin. Sen. Plin. ep.)

Lateralis vox rarissima et a Lucil. Calpurn. usurpata IV: 123, 12 *quo magis est etiam sacrosancta sedes utriusque lateris veneranda confinio utriusque lateralis numinis instauranda respectu* (e coniect. Bæhrensii; Codd.: late.)

Lavacrum pro *balneis* VIII: 183, 16. IX: 209, 1. (Gell. Amm. poster.)

Letalis pro *mortifero* IX: 210, 24 *letalibus vulneribus.* (Poetæ, Suet. Plin.)

Libertus i. s. q. *libertinus* XI: 260, 12 *iuris civilis scientia — libertorum artificium dicebatur.* Script. arg. æt. interdum verbo ita utuntur, tamen numquam libertinum genitivo addito pro liberto scribunt.

Librare X: 219, 11 *omnia meritorum momenta perpendit librat examinat,* ubi tria illa verba idem fere significant. Cfr Stat. Theb. 9, 166 et Cod. Theod. 8, 4, 26. Contra V: 136, 14 *Oceanus ille tanto libratus impetu,* h. e. *maxima vi motus.* Apud alios script. cum telo, iaculo iungitur.

Luctamen pro *luctatione* (Cic.) ut apud poetas translato sensu XI: 247, 15 *emendatio morum — difficile luctamen — fuit.*

Luculentus ad pulchritudinem refertur X: 240, 3 *cum — species luculenta non incitatrix licentiæ esset.* (Plaut. Ter. Mart. Apul.)

Lustralis i. q. *ad quinquennale spatium pertinens* XII: 292, 26 *illud lustrale iustitium.*

Lux pro *die* XII: 306, 21 *spatio lucis unius.* Ita Cic. Mil. 35 et poetæ.

Marcere vox a poetis, a Livio, a script. rerum æt. arg. et poster. usurpata XI: 258, 4 *marcentem iam cupiditatis meæ flammam.*

Maritalis VI: 151, 7 *animum maritalem.* (Poetæ, Col.)

Marmorare IX: 203, 18 *in illo palatio marmoratis*

parietibus incedere (e lectione codd.; Bæhrens: pavimentis).

Matrimonium in plur. num. per metonymiam pro *coniuge* dicitur IX: 195, 5.

Meatus pro *cursu* de fluminibus dicitur V: 137, 18 *illa regio — quam obliquis meatibus Vahalis interfluit.* VII: 170, 10 *immani meatu ferox.* VIII: 185, 6 *interclusis vastitate meatibus.* XII: 302, 18 *cunctantes meatus vix eructatis cadaveribus evolvit* (Poetæ, Plin. Tac. Amm.)

Medius insolenter de sole dicitur XII: 291, 8 *non Arabs medio sole securus est,* h. e. *medii diei, meridiano sole.*

Mensula vox rarissima paucis locis apud Plaut. Petron. Front. Mart. Cap. usurpata XII: 298, 31 *mensularumque servilium statarius lixa.*

Mersare in pass. forma reflexivum et proprium sensum habet VII: 169, 2 *toto nostri greges bicorni amne mersantur.* Passiva vi XII: 277, 17 *ab illis quibus mersabantur erroribus.*

Metallum de gemmis dicitur XII: 274, 13 *radiantium metalla gemmarum.* De marmore usurpatur Stat. Silv. IV: 3, 99 et aliis locis. Alii de aliis rebus hoc verbo utuntur.

Metoecus vox Græca pro *inquilino* VIII: 183, 17 *metoecis undique transferendis.* Præterea affertur Frontin. de colon., sed lectio utriusque loci dubia est.

Modulus i. q. *mensura* in musice usurpata, *modus* (Cic.) VIII: 187, 6 *clarorum instrumenta modulorum.* IX: 193, 15 *magnos animos parvo licet modulo sufficit incitari.* Ita Plin. Gell. Apul.

Molimen pro *molimento* (Cæs.) a poetis et a Livio usurpatum reperitur IX: 207, 3 *tardo molimine currus.* XI: 249, 10 *cum in ipso molimine oppressisset Alamanniam rebellantem.*

Moliri aditum IV: 121, 1. Cfr Virg.: moliri viam, iter. Cic.: aditum facere, patefacere.

Momen pro *momento, motu* XI: 263, 21 *ipsi navitæ, qui nocturnos cursus ad castra moderantur, stellarum mominibus abstinebant* (e coniect. Bæhrensii; codd. præbent: nominibus). Vox rarissima apud Lucret. Arnob. Manil. usurpatur.

Morigerus vox antiqua, quam Plaut. Afran. Lucret. usurpant neque postea usquam ante Apul. videmus, X: 241, 3 ut — *morigeram se non terrori eius præbeat, sed benignitati* (sc. populi Romani vis illa).

Mors i. q. *cadaver* XII: 302, 22 *ne morti sepultura contingeret.* Ita Cic. Mil. 32. Plin. poetæ.

Movere i. s. q. *fingere* XII: 311, 29 *hæc in æra moveantur.*

Multifidus vox poetica de flumine dicitur IV: 131, 13 *Nili ora multifida.*

Multiiugus translate usurpatur pro *vario* V: 144, 18 *o victoria multiiuga.* VII: 172, 12 *multiiugo fultus imperio.* (Cic. semel, Liv. Gell. Apul.)

Musagetes IV: 121, 30 *acceperat Heraclen Musagetem esse.* (Plin. Suet.)

Mutatorius adiectivi ritu usurpatur VI: 150, 9 *ne mutatoria per novas familias communis salutis gubernacula traderentur.* Ita script. eccl.

Natalis absolute positum i. s. q. *ortus* IX: 205, 7 *diem natalis sui.* (Plin. Lucan.). Apud alios script. idem est quod dies natalis. De rebus inanimis Plin. XVII: 10 natalis arborum. Tert. pat. 5 impatientiæ.

Navalia, quæ vox plerumque significat locum, ubi naves ædificantur et reficiuntur, idem est atque omnia quæ ad navem armandam opus sunt, *navigium* II: 99, 12 *ut navalia texerentur* et Ibid. 19 *fluvius hic noster — solam navalibus tuis materiam devehebat.* Cfr Virg. Aen. XI: 526 naves texere. Plin. XIII: 11 navigia texere. Hanc vim iam apud Liv. XLV: 23. Virg. Aen. XI: 329. Plin. XVI: 11 invenimus.

Naviger præter Lucr. Mart. Plin. usurpatur VIII: 185, 22 *navigera flumina.*

Negare XII: 298, 17 *se negare supplicio,* h. e. *se subtrahere, subterfugere.* Cfr Tib. II: 3, 80 non ego me vinclis verberibusque nego.

Nexus proprium sensum habet X: 221, 6 *nec ulla tam fidelis est copula, quæ in diversum tendentia nexu suo teneat.* 237, 10 *nexu ferreo tenebantur.*

Novalis (sc. terra) exstat XI: 261, 31 *in eadem novali.* Præterea verbum uno loco invenitur in pan. IX: 209, 19 *cessat terra novalibus,* ubi tamen e forma neutr. gen. quæ est novale (sc. solum) derivari potest. (Poetæ, script. arg. æt.)

Nudus III: 115, 9 *pæne nudis odiis proelia internecina committunt,* h. e. *solis odiis.* Cfr Stat. Theb. 9, 20 odia. Ov. Trist. III: 11, 17 ira. Cic. nonnullis locis.

Obdurare transitivam vim habet X: 223, 7 *callo quodam obduratæ patientiæ.* Hoc significare videtur nulla alia forma quam part. perf. pass. Eodem modo positum est Capitol. Pert. 9: verecundia, et Cod. Just. 10, 19, 2 nequitia. Sed etiam act. invenimus Lactant. 1, 1, 23 obdurare se contra manifestam veritatem.

Oblatio i. s. q. *donum,* ut apud Amm., aut fortasse *actus offerendi* (abstr.), ut in Ulp. Dig. et Cod. Justin., VII: 172, 31 *qui te omnibus donis, quæ ille promiserat, omnibus honorum oblationibus prætulerunt.*

Obnixe XII: 280, 23 *id obnixe — egisti.* Verbum iam apud Plaut. Ter., deinde apud Amm. et script. poster. æt. in usu est, tamen numquam a Cic. usurpatur.

Obsæpire, quod semper de rebus dicitur, insolenter de homine adhibetur in pass. forma X: 230, 5 *operimento ferri equi atque homines pariter obsæpti.* XI: 264, 8 *cum firmissimo sis muro civici amoris obsæptus.*

Obsequia concretam vim habet II: 91, 26 *hæc obsequiorum stipatio,* h. e. *clientium.* 98, 15 *id pulcherrimum arbitratus adhærere lateri tuo non timoris obsequia sed vota pietatis.* Idem ac *gratia, beneficia* VII: 171, 26 *cui impensius etiam quam tibi occurrere obsequia nostra mandaveras.* 172, 12 *felix beatusque vere quem vestra tantorum principum colunt obsequia privatum.* VIII: 186, 1 *ex quo sæpe accidit ut obsequia nostra tarda sint.* 190, 7 *cum plures adiuvant obsequia paucorum.*

Obserere translate usurpatur XI: 251, 5 *principem — in barbaricum solum terrorem bellicum trepidationes fugas obserentem.* Ita Plaut. in Epid. et Trin. fabulis.

Obsolefacere, quæ vox apud Cic. semel Phil. II: 41, 105 invenitur et postea apud script. arg. æt. in usu est, semel videmus X: 215, 9 *splendore obsolefacta* (sc. copia).

Obstrepere cum dat. ut apud poetas et Liv. iunctum proprium sensum habet II: 91, 6 *armorum sonitus tuis vagitibus obstrepentes.* Plin. pan. 23, 7 acc. sequitur, i. s. q. tundere, fatigare: surdas principis aures.

Obtendere, quod apud Tacitum et æquales eius usitatum est, i. q. *prætendere,* uno loco invenimus, ubi pleonasmus qui vocatur adhibetur XII: 310, 31 *nec — mussitare potuit quin consilium omne nudaret, se videlicet favoris tui obtendisse prætextum.* Ita Plin. ep. 8, 6.

Obtentus hoc uno loco i. q. *impedimentum* est X: 217, 12 *non terror obtentu* (dat.) *est.*

Obtutus, quo verbo script. optimi in sing. num. utuntur, et quod script. sol. orat. cum verbo quæ est *oculorum* semper fere iungunt, in pan. in plur. num. absolute usurpatur. X: 217, 15 *obtutus hominum benignus receptas.* XI: 248, 13 *provincias — sub obtutibus suis vexari ac diripi sineret?* XII: 276, 8 *ut plane in ambiguo sit utrumne te magis nostris mentibus virtus an optutibus vultus insinuet.* Sed sing. num. exstat III: 111, 28 *obtutu mutuo.*

Obumbrare X: 235, 26 *obumbrant euntem telorum irriti iactus,* ut apud Plin. et poetas, i. q. (umbra)

tegere. XI: 248, 27 *candorem æquitatis potuit obumbrare,* h. e. *obscurare.* (Script. arg. æt.)

Obvius XII: 275, 27 *scire obvium est qua præditus fuerit felicitate qui te genuit,* h. e. *facile, in promptu est.* Hanc significationem et iunctionem, quæ non usitata est, arg. æt. adepta esse videtur vox et ex Plin. affertur et Gellio.

Occiduus II: 90, 21 *conscio occidui solis oceano.* (Poetæ, Gell. Amm.)

Octogenarius verbum rarum est. IV: 128, 21 *maior octogenario docuit.* (Plin. ep., script. arg. æt.)

Olivitas vox script. rei rusticæ est et invenitur XI: 262, 3 *una certe unius hiemis est olivitas.* Etiam VIII: 191, 7 *si olivitas larga fluxisset* (e coniect. Rittershusii; codd.: *oliveta larga fluxissent,* quam lectionem ut magis poeticam retineamus).

Onerare XII: 309, 9 *corpore vulnus onerare.* Vox hoc modo constructa digna memoratu est, et conferre possumus Virg. Aen. I: 195 vina bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes, et VIII: 180 onerantque canistris dona laboratæ Cereris, ubi tamen verba quæ sunt cadis et canistris ab editoribus dativi casus esse putantur.

Onerosus translata vi X: 234, 5 *prætereo — et hæc et alia complura quorum est et singillatim onerosa moles et omnium simul acervus onerosior.* XII: 293, 3 *necesse me. erit — onerosum esse pietati* (Ov. Virg. Plin.)

Opera i. q. *homo cuius opera, auxilio utimur,* ut apud Cic. compluribus locis et alios XI: 259, 14 *operarum ad vim et seditionem manus emptæ.*

Osor, XII: 289, 9 *regii nominis Brutus osor.* Vox rarissima in lexicis ex Plaut. Apul. Auson. Augustin. affertur.

Ostentatio, cui verbo semper fere aliquid gloriosi subiectum est, paucis locis apud Liv. Suet. Plin. pan. hac significatione caret, ut etiam IV: 122, 28 *ingenia — non intra privatos parietes, sed in publica ostentatione et in ipso urbis istius ore vegetentur.*

Ostentatrix XII: 286, 4 *sui ostentatrix vetustas.* Verbum ab Apul. primo usurpatum esse videtur et ex Macrob. et Prud. affertur.

Pabulum per translationem insolenter dicitur II: 99, 19 *fluvius — diu pluviarum pabulo carens impatiens erat navium.* Tamen ita apud Cic. quoque usurpatur.

Pacator II: 98, 24 *Hercule pacatore terrarum.* (Sen. Sil. poster.)

Pacificari i. q. *pacem facere,* apud antiquos scriptores, postea apud Liv. Sall. poster. usurpatum, X: 222, 16 *voluntas pacificandi.*

Palmata (sc. tunica) XII: 279, 17 *missas cum curulibus suis per rura palmatas.* (Sidon. Auson.)

Palpare, i. q. *adulari,* cum acc. translato sensu iungitur XI: 257, 8 *palpare obvios,* ut paucis locis apud Juv. et Apul. Dativus sequitur apud Plaut. et Hor.

Participare i. s. q. *participem esse, fieri* XI: 244, 17 et XII: 271, 8 *qui consilium tuum participant.* XII: 301, 11 *participandæ gloriæ cura.* Id significat etiam apud Enn. ap. Cic. Tusc. II: 17, Gell. Juriscons. Contra idem ac *participem facere* VII: 172, 8 *primus imperium et participavit et posuit.*

Peculiaris pro *præcipuo* IV: 120, 4 *sedem illam — cui peculiarem frequentiam honestissimæ iuventutis — providerint.* (Justin. Suet.)

Peculiariter pro *præcipue,* ut apud Plin. et Quint., V: 148, 1 *cuius nomine mihi peculiariter gratulandum.* VIII: 187, 19 *imperatorem totius orbis pro se peculiariter rogare.* Adde IV: 117, 27.

Pensitatio vox rarior, i. q. *pensio, solutio* VIII: 190, 11 *nihil est quod respectandum timendumque sit, quod aliquid virium venturis pensitationibus neget.* (Pseudo-Ascon.) Aliud significat apud Plin. et Sulp. Sev.

Perduellis i. s. q. *hostis* II: 93, 7. III: 115, 11. VII: 167, 30. Vox antiqui temporis propria est. De

significatione verbi cfr Cic. Off. I: 12: Equidem illud etiam animadverto, quod qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur, lenitate verbi tristitiam rei mitigante. Hostis enim apud maiores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus; et Gaii Dig.: Quos nos hostes vocamus, eos veteres perduelles vocabant, per eam adiectionem indicantes, cum quibus bellum esset. Præterea vox singulis locis apud Cic. Liv. Amm. reperitur.

Perfricare VIII: 187, 20 *perfricare frontem,* h. e. *pudorem ponere.* Ita Mart. Petron. Cic. Tusc. III: 18, 41 os perfricare, Plin. et Quint.: faciem perfricare.

Periculum V: 137, 19 *ut cum verbi periculo loquar.* Cfr Quint.: periculum in enuntiatione; sententias petere a periculo, h. e. audacia.

Permadescere proprium sensum habet, i. s. q. *humidum esse* V: 137, 21 *ita penitus aquis imbuta permaduit* (sc. regio). Præterea afferuntur Col. et Prud. Translata vi, i. q. languescere, usurpat vocem Sen.

Perodisse. Part. perf. quod est *perosus* Liv. Virg. Ov. usi sunt et post eos alii script. arg. æt. XI: 255, 1 *non modo imperium, sed etiam vitam perosi.*

Perpes i. q. *perpetuus* II: 92, 10 *perpeti sollicitudine.* III: 103, 23 *perpeti cura.* Vox iam apud Plaut. invenitur, sed post eum non prius quam apud Iustin. et poster.

Personus vox rarissima i. q. *personans* (Cic.) XI: 252, 15 *lata camporum balatu hinnitu mugitibus persona.* (Val. Flacc. Petron. singulis locis.)

Perstrepere intransitivam vim habet et de animatis dicitur VIII: 192, 6 *flagrabit tota civitas, gaudiis perstrepet.* Ita Ter. Eun. 600. De inanimis rebus usurpatur apud Stat. et Sil. Transitivam vim habet apud Claudian. et Apul.

Pertinere i. q. *attinere* IV: 120, 10 *quod ad votum pietatemque pertinet.* 124, 16 *quantum ad honorem pertinet.* Hic usus script. arg. æt. proprius est. Tamen etiam e Cic. et Cæs. singuli loci afferuntur.

Pervigil III: 103, 25 *omnium rerum ordines ac vices pervigil servat.* XII: 302, 2 *ut — spe victoriæ cum luce venturæ pervigil ageret.* (Poetæ, Plin. pan. 59, 14. Amm.)

Petitorius XI: 257, 9 *blandiri populo, palpare obvios, et artes petitorias auderet exercere,* h. e. *ad petendum pertinentes.* Vox præterea apud Iuriscons. bis invenitur, ubi de litis formula et iudicio quæritur.

Piacularis IX: 206, 31 *nec desitum — caput illud piaculare foedari,* h. e. *expians.* (Plaut. Liv.)

Picturatus vox poetica pro *picto, vario* XI: 253, 10 *picturatæ marmorum crustæ* (ex edd.; Codd. præbent: picture.) Cfr Hor. Ep. I: 10, 22 varias — columnas (de marmore dictum).

Pignorari pro *conciliare, devincire* X: 240, 26 *cum ex omnibus provinciis optimates viros curiæ tuæ pignorareris.* Hoc verbum apud Cic. et Suet. reperitur. Alii legunt: *pigneraveris,* quæ forma activa apud Apul. hoc sensu invenitur.

Placere, perf. part. pass. VI: 155, 10 *consilii olim — inter vos placiti constantia;* qui usus poetarum et script. arg. æt. est.

Poenalis XII: 297, 25 *pollutas poenali contactu manus,* h. e. *poenis expetendis* (Plin. Solin. Iuriscons.)

Ponere reflexivam vim habet VI: 158, 9 *posuere venti.* Cfr Virg. Aen. VII: 23 cum venti posuere, et X: 103 cum Zephyri posuere. Ita Ov. et Gell.

Populus i. s. q. *multitudo hominum, turba,* ut script. arg. æt. et poetæ utuntur, XI: 252, 2 *fora deambulacra gymnasia lætis et gaudentibus populis frequentari.* XII: 290, 2 *exspectantibus populis.* 314, 19 *quantis stupentium populis, quam multo circumdabor auditore.*

Portio ut apud Plin. Cels. alios pro *parte* X: 232, 11 *illius multitudinis portio.* Sed ut apud Cic. X: 239, 23 *pro portione;* XI: 257, 24 *pro virili portione,* quod apud Tac. reperitur. (Cfr Krebs. Antib.)

Potare cum accusativo nominis fluminis pro *accolere* VII: 168, 29 *vix securi flumina interiora potatis.* (Poetæ.)

Potiri cum gen. casu iungitur XI: 264, 30 *honorum et divitiarum potitus foret.* Hoc verbum insolenter cum aliis vocibus in gen. casu collocatis quam quæ sunt regni, imperii, rerum coniungitur, sed hoc modo constructum etiam apud Cic. (castrorum) semel, apud Cæs. (totius Galliæ) semel, apud Sall. Curt. compluribus locis invenimus.

Præcanere, i. q. *præcinere* (Cic.), *prædicere* III: 110, 8 *Trasimennum et Cannas dolore præsago præcanebant.* Id verbum significat etiam apud Tertull. sed apud. Plin. idem est ac facere ut veneficia et cantiones inutilia sint.

Præceps de tempore dicitur XII: 303, 1 *præcipiti die.* Cfr Liv. IV: 9, 13 et Curt. Adverbii loco usurpatur proprio sensu XI: 254, 13 *mitto veteres qui saxo præceps dati.* Ita Tac. Ann. IV: 62 immensam vim mortalium — præceps trahit atque operit. Sen. n. qu. 1, 15, 2 eunt. Translatam vim habet Tac. Ann. VI: 17 eversio rei familiaris dignitatem ac famam præceps dabat, ubi tamen dubium est an legendum sit: in præceps, ut Dræger coniecit. Amm. 29, 1 præceps in exsilium acti.

Præcursor translata vi de re inanima dicitur X: 215, 23 *non flos præcursor indolis bonæ lætior quam uberior apparet.*

Prædestino VI: 153, 14 *tibi in illa iocundissima sede lætitiæ harum nuptiarum gaudia prædestinabas.* Verbum apud Liv. semel (45, 40), apud Prud. et poster. invenitur.

Præpollere, quod in part. præs. apud Liv. in usu est, Tac. primus in aliis formis adhibet XI: 259, 18 *cum — in campo — numerus et turba præpolleat.*

Prærogativa i. s. q. *excellentia, præstantia* VII: 161, 18 *ipsum patrem tuum vetus illa imperatoriæ domus prærogativa provexit.* (Plin. semel, Lampr. poster.)

Præsagium VIII: 186, 28 *quodam præsagio venturæ felicitatis.* IX: 203, 13 *metus sui præsagiis monebatur.* X: 235, 1 *præsagio quodam eventuræ cladis.* XI: 263, 19 *tempestatum præsagia.* Vox poetarum et script. arg. æt. propria est pro *præsagitione* vel *præsensione.* Eodem modo

Præsagus III: 110, 8 *dolore præsago.* VI: 151, 11 *mente præsaga.* VII: 165, 28 *præsaga et tacita mente.*

Præsens XI: 254, 19 *per infestos gladios præsentesque mortes imperium petivistis,* h. e. *quæ statim fiunt.* Cfr Virg. Aen. I: 91 præsentemque viris intentant omnia mortem. Flor. I: 26 præsenti morte multavit. Cic.: præsens poena.

Præsentare de abstractis rebus dicitur VI: 151, 3 *continentia fortitudo iustitia prudentia sese votis gentium præsentant.* (Plin. semel, Aurel. Vict. Apul.)

Præstare XII: 282, 26 *Quin ubi primum te imperio præstitisti.* — Cfr Plin. pan. 53, 30 tempus est te ipsi consulatui præstare. Præstare cum particula quæ est *ut* coniungitur eadem significatione ac *efficere* XII: 276, 28 *illa* (sc. virtus) *præstitit ut oporteret te principem fieri, hæc* (sc. forma) *ut deceret.* 278, 16 *nihil tamen plus blandita præstitit quam ut eos in his annis secutos regum aut ducum castra vulgaret.* 281, 26 *ut princeps esses præstitisti.* 282, 23 *unum tibi præstitit principatus, ut certum habeamus.* 286, 12 *num præstare credendo plus possumus quam ut istos — amicorum fuisse quam sui diligentiores putemus?* In lexicis nulla eiusmodi structura ex aliis scriptoribus affertur.

Præstolari cum acc. iungitur VII: 163, 30 *ita pervectus ut non comitata illum sit, sed præstolata victoria.* Ita Plaut. Ter. Cæs. Amm. Cicero autem verbum cum dat. iunxisse videtur.

Præsumere i. s. q. *audere* IX: 193, 27 *tene — tantum animo potuisse præsumere ut bellum tantis opibus*

— *conflatum — primus invaderes.* Eadem est significatio apud Sext. Ruf. et Sulp. Sever. Idem est quod *suspicari, exspectare* VI: 153, 12 *hoc — divina mente præsumpseras.* XII: 309, 17 *præsumere veniam.* Verbum apud script. aur. æt. nusquam invenitur, ut etiam

Præsumptio VIII: 190, 1 *exonerandi præsumptio dat patientiam sustinendi.* X: 213, 25 *animorum præsumptione.* 229, 4 *præsumptione futuri.*

Prætendere insolenter absolute usurpatum idem fere est ac *custodire, tueri* IX: 209, 2 *Rheno et Danuvio quippe prætendunt.* XII: 280, 6 *vix Hiberum tuum videras: iam Histro prætendebas.* Cfr Tac. Hist. II: 6 quidquid castrorum Armeniis prætenditur, et Amm. compluribus locis, ubi tamen passiva forma usurpatur.

Prævehi translata vi i. q. *prætervehi* (Cic.) VI: 152, 1 *superiorem Africanum Pompeiumque Magnum ætatis cursum virtute prævectos* (e coniect. Langii; in codd. legitur: *provectos*) *tam mature sumpto vincis imperio.* (Plin. ep.)

Prævenire, quæ vox nusquam apud Cic. et Cæs., sed sæpissime apud Liv. et script. poster. invenitur, apparet III: 108, 23 *ipsamque quæ vos conata est prævenire famam prævertistis.* VII: 166, 7 *quamquam tu ad seniores principes de summa rei publicæ quid fieri placeret, rettulisses, prævenerunt studio quod illi mox iudicio probaverunt.*

Prævertere idem est ac *cursu superare* in exemplo supra allato III: 108, 23, et V: 135, 27 *illa celeritas, qua omnis ortus atque adventus tui nuntios prævertisti.* VII: 175, 3 *ut — effuso cursu non iam Rhodani curricula, sed ipsa quodammodo ventorum flabra præverterent.* (Catull. Virg. Stat.)

Primitiæ translate dicitur pro *initio* X: 226, 28 *ut primitias ingentis victoriæ daret.* XII: 301, 27 *illi quidem nefario sanguine belli primitias imbuentes.* Vox poetarum est propria, sed etiam apud Apul. et alios hic sensus exstat. Cfr Stat. Theb. XI: 285 Hei mihi primitiis armorum, h. e. initio belli.

Privilegium, quod verbum apud script. aureæ æt. significat legem in privatos homines latam (cfr Cic. legg. III: 19), argentea ætate aliam significationem adeptum est: *ius præcipuum alicui tributum, beneficium,* et sæpe in pan. invenitur: IV: 126, 1 *salvo — privilegio dignitatis tuæ.* 127, 3 *palatini honoris privilegium oratoriæ professioni salvum et incolume servantes.* 127, 25 *salvo honoris mei privilegio.* VII: 178, 5 *dabis et illic munera, constitues privilegia.* XI: 250, 30 *ultro omnibus populis immunitates privilegia pecunias largiuntur.* XII: 293, 11 *haut iniuria tibi vindicas privilegium miseriarum.*

Proculcare pro *conculcare* (Cic.) V: 139, 15 *cum totiens proculcata esset Alamannia.* Ita poetæ, Liv. script. arg. æt.

Prodigere i. s. q. *effundere, dissipare* (Cic.). Absolute dictum IX: 203, 27 *"fruimini" aiebat "dissipate, prodigite".* Cum acc. iunctum XI: 252, 28 *quidquid — alii in cupiditates proprias prodigebant.*

Profundus, quod verbum apud opt. script. semper de locis in usu est, tamen semel apud Cic. translatam vim habet (profundæ libidines), posterioribus ætatibus etiam de aliis rebus usurpabatur, ut II: 93, 9 *ire passus es in profundam famem.* X: 241, 5 *profundum urbi otium gentes perdomitæ condiderunt.*

Progressio proprio sensu usurpatum idem est ac *progressus* III: 108, 17 *neque enim illud progressio fuit nec itineris confectio nec solitis adminiculis usa properatio.* Nullum alium locum, ubi eadem sit significatio, inveni.

Prolixus verbum de coma dictum idem est quod *promissus* V: 143, 32 *illa barbara aut imitatione barbariæ olim cultu vestis et prolixo crine rutilantia* (sc. corpora). Iis locis, ubi antea hoc verbum apud Ter. Virg. Ov. de barba et capillo adhiberi putabatur, nunc legitur: promissus. De tempore usurpatur pro *longo* XI: 249, 2 *at in virtutibus principis nostri quanto ætas prolixior, tanto pulchritudo præstantior,* ut apud Iuriscons.

Proloqui pro *loqui* IV: 121, 6 *cælestia — verba et divina sensa principum prolocutam* (sc. vocem). Verbum apud antiquos scriptores in usu est, sed invenitur paucis locis etiam apud Livium.

Promittere VII: 178, 18 *video basilicas — in tantam altitudinem suscitari ut se sideribus et cælo contigua et vicina promittant,* h. e. *spes præbeant fore ut sidera et cælum contingant.* Cfr Virg. Aen. II: 94 me — promisi ultorem. Quint. decl. 1, 6: interrogabo, per quæ se parricidam scelera promiserit.

Promovere reflexivam vim præter Ter. Eun. 913 hoc uno loco, quoad inveni, habet XII: 303, 11 *postquam intra coniectum teli acies utraque promovit.*

Prorumpere in passiva forma de hominibus insolenter dicitur pro *progredi* VII: 161, 11 *immanesque Gothorum copias Ponti faucibus et Histri ore proruptas terra marique delevit.* Lucr. Virg. Sil. Val. Fl. Stat. verbum de rebus inanimis usurpant.

Protendere i. q. *transferre* III: 114, 12 *„a sole exoriente usque ad Mæoti paludes", id nunc longius longiusque protendere licet.* (Apul.)

Proventus i. s. q. *fructus* XII: 274, 17 *sint, ut scribitur, Gargara proventu læta triticeo.* Hic usus poetarum et script. arg. æt. est. Adde XI: 262, 12 *proventuum meorum tertius,* h. e. *successuum.*

Provisio pro *consilio, cura* IV: 120, 16 *longe maioribus summæ rei publicæ gubernandæ provisionibus occupati.* Ita Cic. quoque semel et script. poster. æt.

Pubescere de tempore adhibetur X: 215, 22 *in annis pubescentibus.* Ita Petron. Sat. 119 pubescentibus annis. Sil. III: 79 pubescet ætas. XVI: 678 pubescente iuventa. Amm. XXVII: 5, 2 pubescente vere.

Publicitus idem est quod *in publico, palam* X: 239, 20 *facta publicitus explicare.* Verbum apud antiquos scriptores, ut Plaut. Ter., non apud Cic. et Cæs. in usu est, sed deinde ab Apuleio usurpatur.

Pulsus de undis dicitur VI: 158, 12 *residuus undarum pulsus immurmurat,* ut apud Amm. XXI: 8.

Pulvereus poetice pro verbo quod est *pulvere oppletus* XII: 302, 2 *ut erat ex itinere longissimo anhelus atque pulvereus.* (Apul.)

Punctim XII: 303, 23 *punctim cæsim ferire.* Lexica vocem afferunt e Liv. Veg. Sen.

Quæsitor hoc uno loco proprio sensu dicitur XII: 296, 15 *parum ille pretiosum putabat aurum quod de montium venis aut fluminum glareis quæsitor Bessus aut scrutator Gallaicus eruisset.* Apud Gell. et Prud. quæsitor idem est atque is qui animo quærit; apud alios script. significat: iudicem.

Quodammodo, quam vocem etiam apud Cic. aliosque reperimus, sæpe in pan. usurpatur. II: 92, 2. IV: 123, 29. 126, 16. VII: 175, 2. 178, 13. VIII: 183, 19. XII: 283, 27.

Queribundus, verbum minus frequens, invenitur VI: 156, 22 *supplices tibi manus tendens vel potius queribunda clamavit.* (Sil. XIII: 583 senectus, Val. Fl. VII: 126 totos lustrat queribunda penates, Ov. Met. VII: 612 natorum queribundæ animæ. Cic. Sulla 30 magna et queribunda voce dicebat.)

Radiare (radiari) pro *fulgere, splendere* VI: 152, 24 *galeam auro gemmisque radiantem.* XI: 262, 20 *etiamtum sol ab eorundem astrorum regione radiabat.* XII: 274, 13 *adde radiantium metalla gemmarum.* Verbum imprimis poetarum proprium est, sed etiam apud script. rerum arg. æt. est in usu.

Ratiocinator translato sensu X: 223, 13 *benigni ratiocinatores officiorum.* Cfr Cic. de off. I: 59 boni ratiocinatores officiorum.

Recedere de locis dicitur VII: 174, 24 *carinis tacite labentibus et ripis lente recedentibus stare se, non ire clamabant.* Hoc apud Virg. Ov. Sil. Stat. usitatum est. Opponitur verbo quod est eminere. Sed X: 213, 7 *tantum ultra omnium sæculorum principes eminet*

quantum a privatis ceteri principes recesserunt, h. e. *privatis præstiterunt.* De re abstracta VI: 157, 29 *minime enim a te recessit imperium.*

Receptio hoc uno loco i. s. q. *recuperatio* VII: 163, 27 *quid ego de receptione Britanniæ loquar?* Apud Plautum idem est quod actus excipiendi, apud Ulp. i. q. exceptio.

Receptus pro *recessu maris* V: 136, 19 *cum oceanus ille — nequaquam tua claustra perfregerit — tot dierum ac noctium receptu recursuque.* De eadem re usurpatur

Reciprocus V: 136, 8 *mare frustra reciprocum,* et VII: 163, 17 *cum reciprocos æstus illius elementi iactis inter undas vallis diremisset.* Præterea II: 98, 29 *iam cæsorum in illo litore hostium sanguinem reciproci fluctus sorbuerunt.* (Sil. Plin.)

Recreator verbum rarissimum VII: 161, 12 *utinam diuturnior recreator hominum quam maturior deorum comes.* (Tertull. Augustin. Orell. inscr.)

Recursus i. q. *accessus maris* V: 136, 19. Vide verbum quod est *receptus.*

Redintegratio pro *renovatione* apud Macrob. Apul. Arnob. æquales eorum in usu est; semel apud auct. ad Herenn. Invenitur in pan. X: 239, 12 *redintegratio status pristini permulcendo dolori satis est.*

Redivivus propria vi vox rarior est. IX: 202, 26 *quæ erant reparabilia conflasti* (h. e. arma), *quod redivivum non erat reservasti* (h. e. vitam). Translato sensu X: 241, 9 *nec obsoleta modo per vetustatem rediviro cultu insigniuntur.* XI: 249, 7 *in redivivum furorem.* Ita Amm. compluribus locis.

Refectio vox arg. æt. proprio sensu usurpatur V: 148, 5 *refectione operum publicorum.* Fortasse verbum adhibitum est etiam V: 146, 2 *in refectione fortunæ* (e coniect. Bæhrensii. Codd.: infectione. Alii alia coniecerunt).

Reficere insolenter pro *renovare, redintegrare* X: 228, 30 *cum bellum reficerent.* Cfr Cic.: bellum facere, Ov. Fast. III: 144 flammam reficere, Petron. Sat. 136 ignes reficere.

Refluere poetice pro *retro fluere* dicitur VII: 175, 9 *portu, in quem angusto aditu mediterraneus refluit sinus.*

Reformare i. q. *reficere, reparare* IV: 119, 1 *quam sit ex usu et officio opus illud ad pristinam magnificentiam reformari.* 122, 20 *necesse est etiam sedem propriam cupiat reformari.* Translato sensu IV: 126, 4 *civitate, quam non ignoras nos ad pristinam gloriam reformare.* VII: 169, 9 *Romani imperii solutam et perditam disciplinam primus reformavit,* h. e. *correxit, emendavit.* (Ov. Plin. pan. 47, 21; poster.)

Refugus vox fere poetica est. II: 99, 2 *refugum mare.* (Plin. pan. 26, 24. Tac.)

Regnator nisi apud poetas et Augustin. non invenitur, si lexicis credere licet. XI: 266, 10 *divino munere Libyæ, Europæ Asiæque regnator est.*

Reiectare XII: 295, 8 *charybdim loquor? quæ cum plena navigia sorbuerit, dicitur tamen reiectare naufragia.* Vox singulis locis apud Sil. Lucr. Spart. reperitur.

Relabi per translationem ut apud Hor. et Augustin. dicitur XII: 281, 1 *in summam tua cunctatione formidinem a media spe relapsa* (sc. res publica). Vox poetica est pro *retro labi* et plerumque proprium sensum habet, ut apud Tac. et Curt.

Relatio, i. q. *narratio,* script. arg. æt. et poster. proprium est. XII: 311, 15 *illam tyrannici exitus relationem gravaris.*

Religiosus insolenter usitatum illum sensum qui est *sanctus* habet, quamquam cum verbo quod est dies iungitur III: 102, 25 *ipsi illi dies quibus imperii auspicia sumpsistis — sancti sunt ac religiosi.* Apud alios script. dies religiosi dicuntur tristi omine infames impeditique: in quibus et res divinas facere et rem quampiam novam exordiri temperandum est, ut Gell. 4, 9

rem explicat. Etiam apud Cic. verba quæ sunt sanctus et religiosus inter se coniunguntur, ut: templum sanctum et religiosum.

Reluctari, quod verbum poetarum et script. arg. æt. proprium est, translate dicitur XII: 283, 27 *cibis — quos invitæ quodammodo reluctantique naturæ hominum pericla rapuissent.* (Plin. pan. 55, 18.) *Invitus* et *reluctatus* coniunguntur Vell. 2, 102.

Renidere verbum fere poeticum est et rarius in oratione soluta invenitur (apud Liv. Tac. Amm. Apul.). XI: 255, 31 *maximus imperator serenum renidens.* Verisimile est idem verbum scriptum esse X: 240, 14 *vultum ipsum augusti decoris gravitate, hilaritate admixta, venerandum quiddam et amabile renidentem, quis digne exsequi possit?* Hanc lectionem edd. habent præter Bæhrensium, qui accepit lectionem codd.: renitentem (reniteo), quod verbum rarissime apud Prisc. Ambros. script. eccl. reperitur.

Reparabilis vox poetica IX: 202, 25 *quæ erant reparabilia conflasti* (sc. arma). Paucis locis apud Sen. et Amm. usurpatur.

Repensare XI: 259, 1 *omnes in emendo videmus repensandi fiducia magno erectoque animo aurum argentumque depromere.* Non sæpe apud Sen. Col. Vell. reperitur.

Repositum substantivi loco usurpatur XII: 280, 9 *reposito frui,* h. e. *ea re quæ reposita est.* 290, 9 *intra repositum Palatinæ ædis,* h. e. *ædem interiorem, adytum.*

Reptare in part. perf. pass. transitivam vim habet, i. q. *reptando transitus* XII: 274, 27 *geminis Delos reptata numinibus,* ut semel apud Stat. (Theb. V: 531) et bis apud Claudian. (cons. Honor. 4, 134 et in Rufin. 2, 180).

Reserare, i. q. (obscura) *aperire*, per translationem dicitur XI: 257, 21 *tuto aput te omnia animi operta reserabo.* Hic usus poeticus est.

Resultare pro *resonare* (Cic.) X: 236, 20 *iam strepitus Martii, iam tubarum sonores festis et resultanti favore mutantur.* (Plin. Virg. Mart.)

Retro de loco pro adiectivo usurpatur IX: 199, 5 *omnemque retro regionem — tutam defensamque præstabat.* De tempore adiectivi loco adhibetur XII: 271, 9 *omnes retro principes.* 282, 30 *multorum retro principum.* 284, 1 *cuiusdam retro principis.* 291, 18 *Persis ipsa rei publicæ nostræ retro æmula.* 299, 5 *omni retro tempore.* Hic usus infimæ ætatis est, et lexica Lampr. et Orell. inscr. afferunt.

Revomere pro *evomere* poeticum est. XII: 295, 13 *nullas eorum reliquias, nulla fragmenta — illa communis vorago revomebat.* Præterea Plin. voce utitur.

Robigo translate usurpatur XII: 279, 10 *audio — te — cuiusquemodi semper opere insidiantis otii tersisse rubiginem,* ut apud Ov. Val. Max. Claudian.

Rusticari i. q. *agrum colere* XII: 279, 15 *ne virtus quiete languesceret, — triumphales viri rusticabantur.* Ita Col. Apud Cic. significat: vitam rure agere, apud Sidon.: rusticorum more loqui.

Rutilare intrans. vim habet V: 143, 32 *illa barbara aut imitatione barbariæ olim cultu vestis et prolixo crine rutilantia* (sc. corpora). X: 241, 13 *rutilantes auro columnæ.* (Virg. Tac. Plin.) Apud Liv. et Plin. transitive quoque usurpatur.

Sacrificus II: 94, 24 *sacrificis odoribus accensis* (corr. Livineius; Codd.: sacrificiis), h. e. *ad sacra pertinentibus.* (Poetæ, Plin.) XII: 289, 2 *Numas sacrificos,* h. e. *sacra facientes.* Id de Numa dicitur Lucan. IX: 478. Præterea apud Liv. et Ov. hæc significatio exstat.

Salutifer pro *salutari* poetice dicitur VII: 177, 18 *iuvenis et lætus et salutifer et pulcherrimus.* (Præterea Apul.)

Satagere i. q. *laborare* XI: 267, 2 *vultu trepido atque satagente.* (Petron. et Arnob.)

Sator pro *creatore* poeticum est IX: 212, 6 *te, summe rerum sator, — oramus.* Cfr Sil. IV: 432 rerum sator.

Satura translate dicitur VIII: 189, 4 *neque enim quasi per saturam confundenda sunt tanta beneficia.* Cfr Sall. Iug. 29, Amm. XVI: 6, 3, alios.

Scatere absolute proprio sensu dicitur XI: 251, 28 *scire satis est — aquas locis omnibus scatere.* Ita poeta ap. Cic. Tusc. I: 28, 69 et Lucr. paucis locis. Translate de ea re ipsa, quæ abundat et erumpit, insolenter X: 241, 30 *cuius ita iam uberes scatent laudes ut plenæ possent videri.* Apud Plin. Gell. Amm. usurpatur de ea re quæ abundans est alcis rei.

Scaturigo VII: 177, 28 *fontium — quorum scaturigines leni tepore nebulosæ arridere — oculis tuis videntur.* (Liv. Plin. Col. Frontin.)

Scrutator i. q. *is qui quærit, investigat,* proprio sensu XII: 296, 15 *aurum quod — quæsitor Bessus aut scrutator Gallaicus eruisset.* (Lucan.)

Sectator pro *discipulo* apud Tac. et Suet. primos invenitur. VII: 179, 11 *multi sectatores mei etiam provincias tuas administrant.* Præterea universe dicitur IV: 121, 17 *cum omnes omnium rerum sectatores atque fautores parum se satisfacere voto et conscientiæ suæ credant,* h. e. qui omnia sequuntur, prosequuntur.

Secure vox arg. et poster. æt. exstat VII: 172, 27 *secure scilicet usurus exercitu.*

Septeni interdum distributivam vim non habet, sed idem fere est ac *septem.* Hunc sensum in sing. num. videmus verbum habere XII: 313, 5 *spectabas hæc e tuis collibus, Roma, et septena arce sublimis celsior gaudio ferebaris.* Ita Plin. Luc. Stat.

Sequax translatam vim habet XII: 284, 16 *quam faciles tibi fuissent (sequaces) discipuli,* h. e. *dociles.* Verbum *sequaces* deleverunt Barthius et Bæhrens. Cusp.: *sequacesque.* Magis probabile mihi videtur verbum *faciles* ut glossema delendum esse. Translate usurpatur etiam Plin. pan. 40, 11 et apud Auson.

Sericum in sing. num. pro plur. num., quem apud aureæ ætatis scriptores invenimus, reperitur XII: 291, 23 *gemmis sericoque præbendo.* (Amm. Solin. Isid.)

Sidereus vox poetica XI: 249, 25 *micantia sidereis ignibus lumina.*

Sinceritas proprio sensu VII: 178, 4 *talis haustu et odore sinceritas qualis fontium frigidorum.* Vox arg. æt.

Sinister i. q. *pravus* XII: 271, 21 *cum absurdæ sinistræque iactantiæ possit videri his ostentare facundiam.* (Poetæ et script. arg. æt.)

Sistere i. q. *consistere, subsistere* intransitivam vim habet IV: 129, 15 *semel contigit ut, quæ apertis fluctibus vagabatur, repente insula Delos sisteret.* (Varro, Virg. Liv. Lucr. Tac.)

Socialis insolenter dicitur XII: 272, 10 *qua litus oceani cadentem excipit solem et deficientibus terris sociale miscetur elementum.* (Sen. benef. 7, 1 homo sociale animal).

Solari poetice dicitur pro *depellere* XII: 283, 12 *cum videret* (sc. luxuria) *imperatorem — modico et castrensi cibo ieiunia longa solantem.* Cfr Virg. G. I: 159 concussaque famem in silvis solabere quercu.

Solidare, i. q. *firmum reddere, confirmare,* translatam vim habet IX: 193, 9 *imperio Romano tandem ex diuturna convulsione solidato.* Ita Cod. Theod. Proprium sensum habet VIII: 188, 25 *diu fruges hiems cohibet, ver elicit tepore, æstas solidat.*

Solitarius XI: 254, 10 *multi post exactos reges imperium universæ rei publicæ solitarium cupiverunt,* h. e. *ipsi soli imperium adipisci cupiverunt.* Fortasse e coniectura Rhenani etiam X: 239, 15 *qui solitario modo id egit,* h. e. *solummodo,* quæ lectio tamen maxime dubia est. Vox etiam apud Cic. invenitur.

Sollicite non prius quam apud script. arg. æt. in usu est. VI: 153, 6 *inspiciendo sollicite.*

Solvere in pass. forma i. s. q. *languescere* IX: 195, 23 *detortis solutisque membris.* Hic usus poetarum, Quint. Curt. est.

Sorbere, i. q. *absorbere* (Cic.), *devorare* de Tiberi dicitur IX: 206, 26 *violentus et turbidus hostem rei publicæ sorbuisti.* De charybdi XII: 295, 8 *quæ cum plena navigia sorbuerit.* (Poetæ et script. arg. æt.)

Specialis pro *singulari, proprio.* XII: 297, 4 *in illos fortasse speciales putaretur habuisse odiorum causas tyrannus.* 302, 20 *ut se tibi posset speciali imputare militia.* 307, 19 *dubitaverim illam specialem quandam felicitatis tuæ dixisse militiam?* (Sen. Quint.) Cfr Krebs. Antib.

Sponsalis adiectivum rarissime reperitur. VI: 152 26 *ut te — sponsale munus faciat pulcriorem.* Tres loci præterea afferuntur apud Varr. Hieron. Cod. Theod.

Sponte, quod apud optimos scriptores semper cum pronominibus quæ sunt mea tua sua nostra vestra coniungitur, in panegyricis semper absolute ponitur. II: 95, 11. 97, 3. 99, 24. III: 114, 22. IV: 126, 21. V: 137, 10. 144, 4. VI: 152, 19. VII: 172, 10. VIII: 180, 9. 184, 13. 187, 12. IX: 205, 22. XI: 257, 18. 262, 29. 263, 5.

Squalere, h. e. *vastum, desertum esse,* vox fere poetica VIII: 185, 24 *vidisti — vasta omnia, inculta squalentia.*

Statarius XI: 253, 15 *statarium prandium,* h. e. *quod a stantibus et in procinctu capitur* (Forcell.). XII: 299, 1 *statarius lixa.* Nomine quod est *lixa* Maximus cum contemptu vocatur, quum statarius miles non fuisset. Cic. quoque voce utitur.

Subalpinus vox rarissima est. IX: 197, 8 *sed ille Græculos homines adortus est, tu subalpinos* (Plin.)

Subire translate usurpatum insolenter cum dat. pro acc. iungitur II: 92, 19 *præcipitanti Romano nomini iuxta principem subisti.* Idem atque *occupare* XII: 284, 7 *subiit quemque privatim sui poenitentia.* Præterea invenitur XII: 296, 22 *ut possemus effugere carnificem, optabamus subire sectorem.*

Subiacere cum dativo iunctum II: 99, 16 *iam non septentrioni nos putavimus subiacere.* Absolute V: 137, 25 *subiacentibus innatat.*

Sublimare pro *tollere* per translationem dicitur XI: 268, 2 *quem sublimat et illustrat consulatus quem tribuisti, amplitudo quam tribuis.* (Script. postremæ æt., ut Apul. Macrob. Aurel. Vict.)

Sublimis pro *alto* imprimis apud poetas usitatum est, sed etiam apud script. rerum, ut apud Liv. et poster., invenitur. X: 241, 12 *sublimes porticus.* De eo qui alto loco sedet XI: 251, 1 *principem nostrum alta puppe sublimem.* XII: 313, 5 *septena arce sublimis celsior gaudio ferebaris* (sc. Roma).

Sublimitas proprium sensum habet VII: 175, 30 *nisi in parandis quas admoverant scalis coniecturam oculorum sublimitas fefelisset.* (Quint. Plin.) Translate VII: 162, 16 *aliud* (sc. est) *ipsa ortus sui sublimitate fultum verticem tenere fortunæ.* Vox arg. æt.

Submittere II: 99, 22 *tibi uberes fontes terra submisit,* h. e. *edidit, progenuit.* Poetæ: submittere flores, gramina. Cfr verbum Græc.: ἀναπέμπειν.

Subservire XII: 287, 20 *tibi aliqua vis divina subservit.* Præterea vox paucis locis apud Plaut. Ter. Apul. Augustin. in usu est.

Substantia vox arg. æt. X: 223, 28 *quod crassam et caligantem aciem simplex illa et inconcreta substantia naturæ tenuis eludat.*

Substructio i. s. q. *(ingens) ædificium internum* XI: 253, 1 *inde nihil necessariæ substructionum in ædibus moles — legionum sumptum facile vincebant.* Cfr Cic. Mil. c. 20 insanas illas substructiones, et 31 substructionum insanæ moles. Aliis locis idem est atque ea quæ in ædificando sub terræ superficie struuntur.

Subterfluere translate dictum cum accusativo hoc uno loco iungitur VII: 172, 5 *eos felicitas ingrata subterfluit.* Singulis locis apud Vitruv. Plin. Sen. proprio sensu dicitur.

Subtrahere cum dat. nullo acc. sequente usurpatur XII: 283, 8 *aut subtractum sibi doleret privata luxuria.* Apud alios script. acc. sequitur.

Subvehere, quod plerumque idem est ac vehere in locum superiorem, maxime insolenter significat: *vehere alqa re vel sub alqa re* XII: 290, 14 *lecticis tensisque subvecti.* Nullum eiusmodi locum inveni apud alios script.

Subvertere insolenter pro *devincere et delere* II: 95, 27 *perspexeras — hostes funditus posse subverti.* (Ter. Justin. Tac.)

Succedere cum dativo iungitur VI: 155, 31 *ut tu imperio succederes pro duobus,* h. e. *susciperes imperium.* Cfr Virg. Aen. II: 723 succedoque oneri, Plin. Cum accusativo i. s. q. *introire* XII: 278, 12 *tentoria Hispana successit.* 280, 4 *vix tecta Hispana successeras.* Ita Apul. solus in Met.: Larem nostrum lætæ succedite. Apud Virg. aliosque dativus sequitur.

Successio VI: 149, 31 *ut substituendis successionibus singulorum nihil obsit unumquemque esse mortalem,* h. e. *liberis, qui succedant patribus* (Forcell.) Præterea vox invenitur II: 91, 2. IV: 128, 25. VI: 152, 13 XI: 248, 32.

Sudare insolenter iunctum cum acc., qui significat id quod aliquis sudans perpetitur XII: 278, 8 *summatim — attingam — actas sub pellibus hiemes, æstates inter bella sudatas.* Cfr Stat. Theb. V: 189 gelidoque labor sudatus in Hæmo. Præterea Sil. Prud. Claud.

Suffundere XII: 311, 10 *vultum rubore suffuderas.* Cfr Liv. XXX: 15 rubore suffusus, Plin. pan. 3, 8 multo pudore suffunditur. Contra Virg. G. I: 430 si virgineum suffuderit ore ruborem.

Suggerere i. s. q. *animo subiicere, suadere* III: 113, 17 *sed ecce suggerunt: "adhuc potes dicere de salubritate temporum".* VIII: 187, 25 *tibi ipsi suggerendo, quæ nos tacebamus.* XI: 270, 15 *hoc tibi polliceor — neque in suggerendis consiliis veritatem neque — defuturam.* XII: 287, 21 *tibi aliqua vis divina subservit quæ quod dixeris scribat et suggerat.* Ita Ulp. Dig. Aurel. Vict. Sed idem ac *præbere* XII: 291, 25 *triumphalibus beluis in tua esseda suggerendis.* 295, 30 *oceanus quas suggerit aquas terris recipit e terris.*

Superfluus pro *supervacaneo* arg. æt. et poster. usitatum est. XI: 268, 13 *superfluum forte videatur quæ vosmet ipsi vidistis iterare.*

Supervolare transitive usurpatur XI: 249, 14 *calcata regum capita supervolans.* Ita Ov. Met. IV: 624 totumque supervolat orbem, et Gell. Præter Virg. script. arg. æt. voce utuntur, imprimis absolute.

Supplantare X: 242, 13 *quam agilis excipiendo hoste, quam resistenti vehemens, quam facilis supplantanti* (e lectione cod. A. Ceteri codd. præbent: *supplicanti,* quæ lectio mea quidem sententia multo melior est, quum *vehemens* et *facilis* inter se respondeant et aliquod verbum exspectemus, quod verbo quod est *resistenti,* contrarium sit).

Suscitare insolenter pro *exstruere, ædificare* VII: 178: 17 *video basilicas et forum, opera regia, sedemque iustitiæ in tantam altitudinem suscitari, ut se sideribus et cælo contigua et vicina promittant.* Unum eiusmodi locum invenimus Lucr. V: 1165 suscitare delubra deum.

Suspendere i. q. *intermittere, differre* XI: 258, 16 *suspendisses benivolentiam tuam.* XII: 279, 12 *cum indutiæ bella suspenderant.* Ita Ov. Liv. Plin. Quint. Contra IX: 193, 26 *amoris quem tunc inter metus et rei publicæ vota suspendimus,* h. e. *suspensum habuimus.* Part. perf. pass. *suspensus* VII: 171, 4 *ut tam profunda vulnera suspensa manu tractem,* h. e. *leviter.* Cfr XII: 273, 15 *manu pendente tractabo.* Plin. ep. 6, 12. Ter. Phorm.

5, 6, 28 suspenso gradu ire. Sil. XV: 617 suspensa ferens vestigia.

Suspirare intrans. vim habet et poetice de eo dicitur qui amore alcis incensus est XII: 301, 10 *illos peregrino igne suspirans regina pellexerat.* Cfr Claud. Epithal. Pall. 11 fluitant arcus, ramisque propinquis Pendentes placido suspirant igne pharetræ. Tib. Ov. Catull.: suspirare in alqo.

Tantillus XI: 261, 28 *propter tantillum innocentiæ meritum.* Vox, imprimis apud Plaut. et Ter. usitata, etiam apud Catull. et Cels. invenitur.

Taxare pro *æstimare* VIII: 189, 27 *nescit taxare indulgentiam tuam.* XII: 293, 29 *vitam ære taxatam.* (Plin. Suet. Sen.)

Temperies de cælo pro *temperatione cæli* dicitur II: 99, 15 *hiems ipsa temperiem veris imitata est,* ut apud Ov. Hor. Lucan. Plin. minorem.

Temporarius, h. e. *qui est ad tempus, brevis,* non apud Cic., sed apud Corn. Nep. et script. arg. æt. invenitur. IV: 117, 26 *temporarium dicendi munus.* VII: 170, 17 *temporarius ille transitus fuit.*

Tenebrosus pro *tenebricoso* (Cic.) VIII: 185, 25 *vidisti enim — vasta omnia — muta tenebrosa.* Vox poetica.

Tener X: 216, 21 *ipsum a tenero intuentes,* h. e. *a puero* (Cic.). Hic usus apud script. arg. æt. paucis locis exstat, ut Quint. I: 2, 18. Col. V: 6, 20. Contra ut apud optimos scriptores XI: 257, 28 *a teneris annis.* De veste dicitur XII: 301, 15 *tenero perlucentes amictu.*

Tenere alqd pro alqa re, i. q. *habere alqd pro alqa re* X: 228, 17 *ut — dimicandi voluntatem pro victoriæ pignore teneres.* Hanc structuram apud nullum alium scriptorem inveni. Sed duo acc. sequuntur X: 226, 14 *ut eam* (sc. laudem) *inauditæ magnitudinis obsidem teneremus.*

Tenuare proprium sensum habet X: 235, 9 *quod eam* (sc. aciem) *nec constipatio contraxisset nec longitudo tenuaret.* Idem quod *minuere, dicendo de gestis rebus detrahere* XII: 275, 11 *cum tanti viri gesta præstet in summam referre quam enumerando tenuare.* Cfr Hor. Od. III: 3, 70 desine pervicax Referre sermones deorum et Magna modis tenuare parvis. Vox poetica pro *attenuare* (Cic.) usurpatur.

Terrigena de Gigantibus poetice dicitur II: 92, 21 *Iovem vestrum quondam terrigenarum bello laborantem.*

Trabalis per hyperbolen quæ vocatur de hasta adhibetur X: 235, 28. Ita Virg. Aen. XII: 294 telo trabali. Stat. Theb. IV: 6 trabalem hastam. Claud. Val. Fl.

Tractus de cursu aquæ usurpatur XI: 250, 32 *classem per maximi fluminis tractum remis ventisque volitantem.* Cfr Lucan. V: 565. X: 257. Val. Fl. I: 614. I. s. q. *ambitus* X: 235, 5 *non quo frons imbecilla tractu invalido duceretur.*

Transferre se insolenter usurpatur . II: 94, 20 *a tribunali temet in campum, a curuli in equum transtulisti.* Hor. Od. I: 30, 4 vocantis Thure te multo Glyceræ decoram Transfer in ædem.

Transfretare intrans. et propriam vim habet, i. q. *fretum transire* VII: 165, 21 *in Britanniam transfretabat.* Vox rarior est et paucis locis apud Suet. Gell. Amm. reperitur. Singulis locis apud Amm. et Tertull. transit. vim habet.

Transgressio, i. q. *transitus,* propriam vim habet II: 94, 31 *quod autem maius evenire potuit illa tua in Germaniam transgressione?* Ita singulis locis apud Cic. (Pis. 33, 81) et Gell. (X: 26). Aliis locis translatam vim habet.

Transigere de tempore dictum pro *agere* plerumque cum præpositione quæ est *per* iungitur, ut significetur, per quas res tempus agas, sed abl. casus sequitur II: 92, 11 *noctes omnes diesque perpeti sollicitudine pro omnium salute transigere.* Eodem modo Plin. ep. 3, 7, 4 diem sermonibus transigere. Vox hoc sensu usurpata apud script. arg. æt. reperitur.

Transcribere VII: 172, 10 *nec amisisse se putat quod sponte transcripsit,* h. e. *commisit, concessit.* (Virg Ov. Sidon.)

Tremere poetarum more transitive adhibetur XII: 291, 2 *tua – auspicia non hæc tantum gentes tremunt.* Præterea Liv. XXII: 27, 3 virgas ac secures dictatoris tremere.

Tremescere vox poetica pro *contremiscere* (Cic.) XI: 267, 14 *poetæ ferunt – eius nutu mundum tremescere.* XII: 313, 9 *ad omne civilis motus classicum tremescebas.*

Tremulus pro *tremente* XI: 249, 19 *tremulæ anus.* (Virg. Ov. Mart. Apul.)

Tributarius apud Cic. semel, apud Suet. Plin. aliosque script. arg. æt. invenitur. XII: 291, 26 *etsi adhuc nomine foederatus, iam tamen tuis cultibus tributarius est.*

Trinus, idem ac *triplex,* in sing. num. adhibetur II: 90, 26 *pastorem trino capite deformem.* (Poetæ, ut Stat. Auson.)

Truncare verbum rarius est. V: 139, 6 *omnibus fere membris erat truncata res publica,* h. e. *spoliata.* Cfr Claudian. b. Get. 88 manibus truncatus et armis. (Poetæ. Tac. Iustin.)

Uber i. q. *ubertas* V: 139, 24 *tanto frugum ubere.* Ita Virg. Col. Cfr Virg. Aen. I: 535 terra potens armis, atque ubere glebæ, et VII: 262 divitis uber agri.

Ubertas translata vi, ut etiam apud Cic., XI: 262, 8 *mihi certe tertia unius anni ubertas est consulatus.*

Ubertare i. q. *uberem facere* VIII: 188, 1 *agros – imber ubertat.* Vox rarissima paucis locis apud Col. reperitur et Plin. pan. 28, 14.

Ultroneus pro *voluntario* XII: 300, 3 *ultroneam tibi operam ferre.* (Apul. poster.)

Umbraculum insolenter pro *præsidio* usurpatur VII: 172, 13 *vestro lætus tegitur umbraculo.* (Apul.)

Uniformis i. q. *similis, unicolor* III: 109, 10 *cælo pariter ac terris uniformibus.* (Tac. Dial. Apul. poster.)

Undare pro *abundare* XII: 305, 11 *aulæis undantes plateas.* (Val. Fl. Stat.)

Unire pro *coniungere* XI: 264, 4 (Sen. Tertull. Apul. poster.)

Usurpare i. q. *percipere* XI: 268, 15 *neque enim auribus expetuntur quæ fuerint usurpata luminibus.* (Plaut. Lucr.)

Uxorius idem atque *uxori deditus* VI: 151, 10 *iuvenis uxorius.* (Virg. Aen. IV: 266. Hor. Od. I: 2, 20. Sen. Quint.)

Vacuare XI: 258, 16 *omnia pectoris arcana vacuabo.* Hoc verbum, quod apud Col. Lucr. Mart. Stat. alios invenitur, insolenter hoc loco de rebus, quæ ex alqo loco effunduntur, usurpari videtur pro *aperire, prodere.* Tamen fortasse hoc quoque loco, quum verbum quod est arcana idem sit atque *arcana loca,* significationem illam verbi usitatam reperimus, ut etiam XII: 293, 26 *vacuatas municipibus suis civitates.* 300, 12 *urbes quas inimica dudum populatione vacuaverat.*

Vadari in part. perf. passivam significationem habet, tamen non de homine, qui in ius vocatus est, sed de morte, ad quam alius vas factus est, usurpatum XII: 286, 9 *alter in amici mortem se vadem obtulit, alter ad diem vadatæ mortis occurrit.* (Script. infimæ æt.)

Valescere insolenter proprio sensu dicitur X: 229, 16 *ignem cuius facilis per adiuncta contagio pastu pestifero valescebat.* (Lucr.)

Vastator II: 92, 29. Vox apud poetas, Sen. Quint. invenitur.

Vectatio, h. e. *iter* VII: 170, 19 *delicata fuit illa vectatio principis otiosi.* Vox rarissima paucis locis apud Sen. Suet. Augustin. usurpatur.

Vegetare, i. q. *excitare, incendere* IV: 122, 29 *ut ingenia quæ canendis eorum virtutibus excoluntur non intra privatos parietes, sed in publica ostentatione et in ipso urbis istius ore vegetentur.* XII: 279, 27 *iugi agitatione se vegetat æternitas.* (Sen. Gell. Apul. Auson. Prud.)

Velificatio, quod verbum lexica semel e Cic., bis ex Amm. afferunt, exstat V: 142, 3 *totius velificationis et cursus gloriam meruisse.*

Velivolus, vox poetica iam a Liv. Andronico et ab Enn. usurpata, III: 108, 18 *quid simile concitus equus aut velivola navis?*

Ventosus, i. q. *inflatus, vanus* XII: 272, 22 *dominum auras omnes plausuum publicorum ventosa popularitate captantem.* (Hor. Virg. Stat. Plin. pan. 27, 13).

Vernula IX: 205, 10 *at quomodo instruxit aciem tot annorum vernula purpuratus.* Verbum arg. æt. et poster.

Vertigo proprium censum ut apud Ov. Lucan. Sen. habet XII: 279, 29 *ut indefessa vertigo cælum rotat.*

Vesania pro *amentia* (Cic.) III: 114, 7 *tandem bella civilia ad gentes illa vesania dignas transtulistis,* et 114, 13 *si qui hostilem in mutua clade vesaniam toto orbe percenseat.* Vox rarior apud Hor. Val. Max. Amm. reperitur.

Vicennalia, h. e. *ludi, qui vicesimo quoque anno celebrabantur* X: 213, 28. Præterea in lexicis affertur Lactant. de mort. persec. 17 et 31.

Vicis. *Ad vicem* pro eo quod est *vicem* (Cic.) vel *in vicem* (Cæs.) XI: 246, 20 *ad vicem numinis.* 262, 30 *ad herbarum vicem.* XII: 294, 10 *ad illorum vicem.* (Plin. Pallad. Gell.) *Invicem* i. q. *inter se:* cfr quæ infra de pronominibus reciprocis disseruntur. Tamen vis reciproca non est VIII: 187, 30 *et nos invicem — flebamus gaudio.* X: 216, 26 *facta cum mira sunt amorem invicem creant.* Abl. *vice* II: 91, 30 *vice gratiæ,* i. q. *pro gratia.* (Plin. Tac. Suet.) *Versa vice* pro *contra* IX: 200, 30. XI: 252, 21. (Script. arg. æt. et poster.)

Vindemiare absolute usurpatur III: 113, 28 *metendo et vindemiando deficimus.* Ita apud Plin. et Arnob. Cum acc., qui est *uvas* vel *vinum,* coniungitur apud Plin. et Col.

Vivax pro *diuturno* translata significatione poetarum more usurpatur XII: 273, 10 *cum per se vivax sit recordatio calamitatum.*

Volaticus de telis insolenter dicitur IX: 196, 15 *Parthorum arma volatica.* Præterea proprium sensum habet Plaut. Poen. 2, 27 homines volatici et Apul. Met. 8 Pegasus volaticus. Apud Cic. translatam vim habet: inconstans, levis.

Volvere in part. præs. reflexivam vim habet III: 102, 29 *annis volventibus.* V: 134, 5 *annorum volventium.* (Lucr. Ov. Virg.) Cfr Virg. Aen. I: 234 volventibus annis.

Votivus i. q. *optatus, gratus* XII: 297, 30 *a quibus tot simul votiva veniebant.* Ita Treb. Poll. Apul. Prud.

Vulnerare translata vi insolenter cum acc. nominis abstracti coniungitur X: 218, 28 *nec fortunæ vicissitudo — victorum lætitiam vulneravit.*

E verbis, quæ aut in pan. solis aut apud posteriores quoque scriptores reperiuntur, unum in pan. VIII, unum in pan. IX, octo in pan. X, tria in pan. XI, tria in pan. XII occurrunt.

Abusivus idem fere est atque *improprius* IX: 195, 24 *nomine ipso abusiva appellatione mutilato.* Duos præterea locos lexica afferunt e scriptoribus infimæ ætatis: Cæl. Aurel. acut. 1. præf. § 14 et Consent. 341, 2.

Amplificatrix uno loco apparet XII: 278, 15 *amplificatrix veri vetustas.*

Clibanarius i. q. *cataphractus, lorica armatus* X: 230, 5. Post Nazarium vox in libris Amm. Eutrop. Lampr. exstat.

Constipatio. Fieri potest, ut Nazarius primus hac voce in litteris usus sit X: 235, 8, nisi forte Vopiscus, qui initio quarti sæculi vivebat et idem verbum usurpat, ante Nazarium opera sua scripsit. E libris Ammiani et Augustini lexica paucos locos afferunt.

Deambulacrum i. q. *ambulacrum* (Plaut. Pallad.),

ambulatio (Cic.) XI: 252, 1. Præterea script. eccles. verbum usurparunt.

Deflexio translate usurpatur X: 217, 24 *nullæ cupiditatum deflexiones.* Macrob. Sat. 1, 17, Chalcid. Tim. 69 et 144 proprio sensu voce utuntur.

Discriminatrix nullo alio loco exstat quam X: 219, 10 *illa maiestas fandi ac nefandi discriminatrix.*

Durator XII: 301, 15 *hos — ingentium corporum durator Hister effuderat.*

Inconcretus X: 223, 28 *inconcreta substantia naturæ tenuis,* h. e. *corpore carens.*

Inflammatrix translato sensu XI: 246, 28 *amores inflammatrices.* Postea id verbum usurpat Ammianus XIV: 1 Megæra inflammatrix.

Precabundus i. q. *precans* XII: 304, 7.

Recondite i. q. *occulte* X: 223, 6 *quamvis recondite magis gemeres.* In lexicis hoc verbum non reperitur.

Robuste X: 226, 27 *robusteque recreata est* (sc. natio). Præterea apud Augustin. Conf. 8, 11 in compar. gradu, apud Cassiod. var. 12, 21 in superl. usurpatur.

Separate VIII: 189, 3 *separate igitur utraque dicam.* Hæc forma apud nullum præterea scriptorem invenitur. Sed comparat.: separatius Cic. de inv. 2, 51 adhibet. Pro hoc verbo *separatim* in usu est.

Stimulator XI: 248, 15. Præterea apud Claudian. in Ruf. 2, 501.

Superegredi translato sensu X: 225, 29 *cum gloria tua humanum modum superegressa sit* (e lectione cod. A., ceteri præbent: *supergressa.*). Ambros. ep. 6 solus verbo utitur: superegrediamur plebeias opiniones.

De particulis.

In particularum usu quamquam sæpissime panegyricorum scriptores Cic. optimosque auctores sunt secuti, tamen cum iis in nonnullis rebus discrepant, quarum rationem reddam.

De adverbiis.

Adhuc de tempore præsenti ut apud optimos scriptores eadem vi dicitur atque *usque ad hoc tempus,* nulla continuitatis et perpetuitatis notione admixta II: 101, 17. VI: 150, 14. VII: 161, 6. IX: 193, 21. XII: 271, 15. 281, 26. 291, 25. Nonnullis locis significat alqd non desiisse sed permanere, eodem sensu atque *etiamnunc,* ut VI: 150, 29. 155, 26. 158, 10. VII: 163, 12. 170, 29. 173, 24. 178, 27. VIII: 180, 26. 189, 29. IX: 211, 21. 216, 26. X: 243, 3. XII: 281, 11. 281, 21. De tempore præterito usurpatur pro *etiamtum* perpetuitatis notione semper admixta, et sæpissime cum adiect. aut part., ut apud Liv. Tac. alios, coniungitur, ut V: 140, 11 *adhuc seminudus.* 142, 11 *cunctantibus adhuc ducibus.* VI: 152, 22 *adhuc impar oneri.* VII: 162, 25 *adhuc toto corpore vigens.* 164, 15 *campos — adhuc ossibus opertos.* IX: 198, 9 *bello adhuc restante.* X: 226, 7 *adhuc ævi immaturus.* 226, 15 *Herculem — tenerum adhuc.* 232, 20 *adhuc mente vesana.* 237, 13 *suberat adhuc sævitia.* XI: 251, 6 *adhuc navigans.* XII: 293, 21 *adhuc inops avaritia.* 298, 10 *servanti adhuc. Etiamnunc* et *etiamtum* nullo loco, quod invenerim, reperiuntur nisi *etiamtum* V: 140, 10. VI: 152, 23. Verbo in comparativo gradu collocato appositum est *adhuc* pro *etiam* VIII: 189, 10 *plus adhuc præstare cupiebas,* ut multis locis apud Quint. Sen. Suet.

Et pro *etiam* positum est III: 113, 13. V: 144, 6. VII: 168, 10. 176, 24. 178, 4. X: 215, 21. XII: 286, 24. 297, 18.

Forte, i. q. *forsitan,* cum coniunctivo positum XI: 268, 13 *superfluum forte videatur.* 269, 8 *sed sint ea — aliis forte miraculo.* Cum ind. i. q. *fortasse* IX: 211, 19 *invitus hoc forte accipis.*

Hucusque, quod verbum postremæ ætatis est proprium et apud Plin. primum de locis invenitur, semper in pan. de tempore usurpatur. II: 98, 32. III: 115, 12.

VIII: 192, 10. IX: 203, 5. 207, 1. XI: 252, 30. 258, 7. Pleraque ex his exemplis apud Hand. Tursell. enumerata sunt.

Igitur in initio enuntiati duobus locis positum est. IV: 123, 21. X: 217, 19. Ita script. rerum, ut Sall. Suet.

Inde causali vi subiecta exstat in locutione quæ est *inde est quod* IV: 121, 20 *Inde est quod Atheniensis humanitas aram Misericordiæ instituit.* V: 147, 19 *inde est quod consulere singulis æqualiter licet.* VII: 162, 28 *inde est quod tanta ex illo in te formæ similitudo transivit.* IX: 210, 23 *inde est quod — perire festinant.* XII: 279, 15 *inde est quod accepimus datos serentibus fasces.* Etiam VII: 168, 14 *inde igitur est, imperator, pax ista qua fruimur.* Num apud Cic. hæc significatio sit, dubium est (Cfr Lagergren.: de vita et elocut. C. Plinii Cæcilii Secundi, Upsaliæ 1872). Certe frequentiora sunt exempla script. poster. æt., ut Plin. pan. 69, 6 inde resultantia vocibus tecta. 15, 9 inde est quod prope omnes nomine appellas. Plin. ep. 7, 5.

Ita demum pro eo quod est *tum demum* reperitur II: 95, 27 *perspexeras ita demum hostes funditus posse subverti, si in propriis sedibus vincerentur.* IV: 130, 19 *illum temporum statum — ita demum integrari putant, si non potentia, sed etiam eloquentia Romana revirescat.* (Script. recent.)

Itaque insolenter post unum aut duo verba ponitur II: 99, 27 *facile itaque quivis intelligit.* V: 135, 25. VI: 149, 20. VIII: 180, 26 *nunc itaque — dicam.* X: 237, 20 *dicam itaque* (Sed X: 238, 4 *itaque tanti — concursus excitabantur*). XII: 273, 20 *in integro itaque rem totam esse faciamus.* Hanc sedem apud Liv. et poster. tenet.

Iuxta i. q. *æque* X: 226, 10 *tu exinde domi militiæque iuxta bonus.* Hanc vim iam apud Plaut., postea apud Liv. Sall. Tac. alios invenimus.

Longe ad vim comparativi gradus augendam ut apud poetas, Liv. poster. adhibetur pro *multo* II: 91, 29 *longe illa maiora sunt.* IV: 120, 16 *longe maioribus — provisionibus occupati.* X: 229, 19 *longe operosior.* Ante verbum, quod comparativam vim habet, III: 102, 6 *longe infra spem honoris.* VI: 155, 14 *longe diversa in vobis erat causa.* VII: 162, 14 *longe tamen aliud est niti per ardua.* (Ita Cic. Quint. Sall.). Cum voce in superlativo gradu collocata, ut apud optimos script., usitatissimum est IV: 123, 13 *fana longe omnium in hac urbe pulcherrima,* quo loco per pleonasmum cum verbo quod est *omnium* coniungitur.

Magis magisque insolenter cum locutione quæ est *in dies* pro *magis* coniungitur VIII: 182, 27 *magis magisque in dies veneramur.* Cfr Krebs. Antib.

Nihilominus in pan. III solo reperitur. 104, 7. 112, 24. *Tamen* additur 103, 29 *nihilominus tamen fata disponit.*

Nunc — nunc pro *modo — modo* IX: 202, 16 *deus — nunc tristes, nunc lætos nuntios mittit.* XII: 305, 21 *nunc dexter aut lævus, nunc — obvius.* XII: 314, 6 *nunc de bellis, nunc de superbia triumpharis,* ubi tamen paulo ante exstat: *modo — modo.* Ita apud Liv. et poster.

Plus ad verba quæ sunt *diligere, laudare,* ut apud Cic., appositum est XI: 264, 16 *nego quempiam ab uno amico plus dilectum.* XII: 278, 2 *his quos plus diligunt.* XII: 286, 15 *plus fere filios quam nosmet ipsos diligamus.* Superlativus gradus exstat VII: 161, 7 *quod — qui te amant plurimum sciunt.*

Proinde, quod cum exhortatione quadam apud alios script. usurpari solet, insolenter adhibetur IV: 125, 25 *proinde quod aliud præmium his quam illud conferre debemus?*

Quamlibet, quæ vox numquam apud Cic. et Cæs., sed sæpe apud Ov. Lucr. Plin. min. Suet. invenitur, exstat V: 142, 15 *quamlibet iniquo mari.* Coniunctionis loco positum est cum coniunctivo modo pro *etiamsi* VII: 168, 16 *quamlibet ille aut arescat æstu aut resistat*

gelu, neutro hostis audebit uti vado. VII: 170, 31 *quamlibet enim — acuatur, debet — moderari.* IX: 208, 11 *quamlibet verba tua — nota sint, tamen — nuntiavit.*

Quanto ocius vel *quantocius,* ut apud Lactant. et Sulp. Sever. singulis locis, XI: 246, 11 *ut quanto ocius ad ea quæ pro re sunt perveniat oratio.*

Quoque in enuntiato negativo VI: 155, 16 *quamquam, etiamsi tutam excusationem ætatis afferres, sic quoque tibi rei publicæ curis non erat abnuendum,* h. e. *ne sic quidem* vel *tamen non.* Cæsar verbum eodem modo usurpavit, ut b. c. III: 37; Liv. Tac. sæpissime[1]. *Sic quoque* in sententia affirmativa, i. q. *tamen* IX: 194, 9 *alioquin — sic quoque, cum viceris, redde rationem.*

Saltem cum verbo negativo positum idem est ac *ne — quidem,* ut apud Liv. et script. arg. æt. usitatum est. II: 93, 21 *cum te neque barbari unum putarent neque milites non dico stipatione atque comitatu, sed saltim oculis sequi possent.* XI: 257, 17 *ne te quidem ipsum — verbo saltim adii.* (Cfr Quint. VI: 5, 1.) XII: 310, 29 *nec cunctari saltem aut mussitare potuit.* (Plin. pan. 77, 1.)[2]. 312, 31 *nemo — culpam capitis aurium saltim molestia luit.* (Plin. pan. 4, 18. 76, 26.) Eodem modo *vel* V: 142, 27 *ut inimica classis — præteriretur nec vel moraretur impetum.* IX: 205, 8 *ne septenarium illum numerum sacrum et religiosum vel inchoando violaret.* 206, 9 *ne tam deforme prodigium vel hanc obitus sui relinqueret famam.*

Ultra in comparativo gradu positum insolenter pro *amplius* de tempore dicitur XII: 298, 16 *ulterius non poterat se negare supplicio.* Apud poetas, Val. Max. posteriores localem vim habet.

Utpote uno loco reperitur IV: 122, 12 *ut — sentiat litteras omnium fundamenta esse virtutum, utpote continentiæ modestiæ vigilantiæ patientiæ magistras.*

Usque. Insolenter præpositio abiicitur VIII: 185, 2

[1] Cfr Dræger. Hist. Synt. II: p. 72 sq.
[2] Cfr Dræger. Hist. Synt. II: p. 73.

usque Ararim. Sed recte ut apud Cic. ad nomen oppidi X: 231, 27 *Veronam usque.* Aliis locis præpositio antecedit aut sequitur, ut IX: 204, 3 *usque ad portas.* XI: 250, 23 *in cælum usque.*

De coniunctionibus.

An in indirectis sententiis interrogativis adhibetur, ubi melius *num* vel — *ne* ponatur, ut apud Liv. Curt. Quint., VII: 178, 26 *sed enim ista felicitas viderit an adhuc meæ debeatur ætati.* VIII: 189, 6 *an sufficeret hoc nobis sæpius requisisti.* XII: 273, 16 *perrogitasse contentus an — potuerimus huiusmodi principem vel optare.* XII: 284, 30 *humilis hæc virtus dubiumque an virtus iudicabatur,* quod verbum ad utramque sententiam pertinet. Per ellipsin verbi adhibetur XI: 264, 14 *duo an tria ferme — amicorum paria proferuntur.* XII: 312, 25 *duobus an tribus — cæsis.* Talia exempla apud Cic. quoque exstant. (Cfr Dræger II: p. 492.) In directa sententia interrogativa post *an* sequitur particula quæ est *nonne* XII: 275, 14 *an si eius sæculo mos ille vixisset —: nonne hodie pauciora — cognomenta legerentur?*

Atque post verba temporalia invenimus: *statim atque:* V: 137, 3 *statim atque obsidionem necessitas — solverat.* V: 141, 8 *statim atque — intenderas.* 142, 29 *statim atque Britanniæ litus invaserat.* 146, 7 *statim atque — appuleras.* Pro hac locutione, quam præter Ulp. in Dig. scriptor quinti pan. solus adhibuit, et quæ in pan. semper cum plusquampf. coniungitur, Cic. *statim ut* scripsit, ut Att. 2, 12. *Statim ut* usurpatur VI: 158, 7 *statim igitur ut — refrenasti et — recepisti* (perf.). VII: 174, 11 *statim igitur ut — audierant* (plusquampf.). *Statim quum,* quod exstat apud Mart. Pall. Colum., apparet VII: 166, 9 *statim — cum primus copiam tui fecit egressus* (perf.). *Ilico atque* reperitur VII: 166, 3 *ilico enim atque ille terris fuerat exemptus* (plusquampf.). Pro

hoc verbo apud Plaut. sæpe *illico ubi* invenimus, apud Cels. *illico quum*.

Et. In enumeratione ultimum membrum per part. *et* aut *atque* additur II: 94, 21 *mutasti — rapuisti — transtulisti — et redisti.* VIII: 192, 5 *flagrabit — perstrepet et — retinebit.* IX: 200, 25 *amplexique — pectus — manus et quidquid — emerserat.* X: 220, 29 *gravitate, modestia et decore.* 227, 25 *tot regna, tot populi et tantarum nationum congregatio.* XI: 253, 16 *castrensi cibo, ministerio obvio et poculo fortuito.* 257, 8 *blandiri populo, palpare obvios et artes petitorias exercere.* 261, 21 *iustitiam fortitudinem temperantiam atque prudentiam.* 261, 25 *provinciæ præfecturæ fasces sella curulis atque omnia insignia.* XII: 299, 15 *tecum clementiam pudicitiam religionem, secum impietatem libidinem crudelitatem et omnium scelerum — collegium.* 309, 15 *ignem laminas crucem culleum et quidquid merebatur.*

Neque. Paucis locis *et non* scriptum est, ubi *neque* exspectes. V: 139, 22 *et sane non — ita mediocris erat.* X: 220, 21 *et non dubito.* Negatio cum pronomine coniungitur X: 224, 22 *et nullo umquam.* *Nec* pro *ne — quidem* XII: 285, 28 *præbuisti igitur tu amicis quo plus nec patri præstare potuisses.* 308, 13 *sed nec tu debitam gratiam — abiuras* (Liv.). *Nec* pro *neve ut* finali præcedente IV: 126, 5 *hortamur ut — repetas atque — excolas mentes nec putes —.* XII: 295, 3 *ut — suppeditet — nec desit.* Ad coniunctivum, qui pro imperativo positus est, apponitur X: 214, 12 *nec humanorum terminos curent.* 222, 25 *nec permittas hoc furori.* XII: 287, 7 *nec imponi neglegentibus arbitreris.* 291, 27 *nec — existimes.* 311, 20 *nec sitis — solliciti.* Hoc loco adnotandum est negationem non cum coniunctione, sed cum alia voce ut apud Cic. et alios post verba *efficiendi* coniungi, III: 103, 14 *quæ causa faciat ut numquam — velitis.* XI: 264, 23 *non nobis sufficit, quod obtinuisti, ut nemo te velit lædere, nisi nos curamus ut nemo possit.* XII: 296, 8 *non solum ut quam plurimum quæreret, sed ut nihil cuiquam reliqui faceret laborabat.* 313, 3 *fecisti ut nemo sibi victus — videatur*[1]. Contra IX: 199, 7 *ne diutius hostem iuvaret providentia tua factum est.* Maxime insolenter in sententia finali dicitur XII: 309, 3 *ut de his taceam qui — occupaverunt, ut nihil de servis loquar — quis umquam — timuit?*

Nisi quod, quæ locutio apud Cic. Liv. Sall. exceptionem significat, apud Tac. Apul. posteriores idem fere est ac *sed*[2]. In pan. reperitur X: 216, 23 *nihil ab eius contemplatione deflectunt, incerti mirentur an diligant; nisi quod necesse est utrumque permixte simul fieri.* 217, 1 *non omnia proponebantur quæ sequi velles; nisi quod recte factorum contemplator acerrimus, si quid secus fieret, a spectandi cura pudentes oculos abstrahebas.* 233, 6 *mortis decus perdunt quos ignoratus affligis, nisi quod te ipsa vis tua cogit agnosci.* 233, 23 *quam tu umquam gratiam pro tantis his laboribus referes? nisi quod indulgentissimus princeps — eo cariorem habet quo maiore labore servarit.* (Cfr Plin. pan. 81, 24.) Contra causalem vim habet X: 216, 7 *unde enim principis maximi tam effusus in liberos animus, nisi quod iam in illis simulacrum sui conspicit?*

Quin post *mussitare* insolenter usurpatur XII: 310, 30 *nec cunctari saltem aut mussitare potuit quin consilium omne nudaret?*

Non solum — sed etiam[3] in pan. ut apud omnes script. usitatissimum est. Hos locos annotavi: II: 93, 1. 99, 9. IV: 119, 12. 123, 2. V: 135, 2. 137, 21. 144, 16. VII: 163, 25. 170, 5. 173, 2. VIII: 183, 16. 187, 24. IX: 193, 12. 194, 2. 207, 14. XI: 257, 1. 264, 10. 270, 9. XII: 276, 3. Verbum quod est *etiam* omittitur V: 145, 21. XI: 259, 5. 263, 10. XII: 283, 4. 285, 5. 296, 8. *Non modo — sed etiam,* quod apud

[1] Cfr Madvig.: Lat. Sprogl. § 456 Annot. 3.
[2] Cfr Dræger. Hist. Synt. II: p. 227 sq.
[3] Cfr Dræger. Hist. Synt. II: p. 98 sqq.

omnes script. Latinos reperitur, exstat II: 91, 1. III: 110, 15. 114, 14. 115, 4. IV: 119, 19. 119, 21. 125, 18. V: 139, 13. 146, 11. IX: 208, 26. X: 239, 15. XI: 248, 15. 251, 11. 255, 1. Verbum quod est *etiam* omittitur: II: 90, 28. 95, 28. IV: 121, 27. V: 134, 30. 142, 5. X: 224, 20. 229, 17. 241, 8. XI: 263, 11. 264, 17. 265, 24. XII: 290, 2. 293, 11. *Non tantum — sed etiam*, quod apud Cæs. et Sall. nusquam, apud Cic. rarissime invenitur, sed apud Liv. Curt. poster. sæpe in usu est: VI: 149, 13. 150, 30. *Etiam* omissum est X: 219, 32. XII: 271, 25. 278, 18. 280, 22. 291, 2. *Non tantummodo — sed etiam;* quod apud Cic. semel, apud Liv. bis invenitur, III: 103, 26. IX: 211, 12. *Non tantum — sed — quoque,* ut apud Liv. Quint. Gell.; XI: 259, 31. XII: 314, 9. *Non solum — sed — quoque* (semel apud Cic., sæpe apud Liv.) XII: 277, 4. *Non solum — verum etiam,* ut apud Cic., IV: 126, 14. IX: 196, 26. XI: 245, 18. *Non — sed etiam* (Cic. bis, Curt. semel) IV: 130, 19. Præterea afferendum est: *non solum non — sed etiam* VII: 168, 11. *Non modo — nemo — sed potius* IV: 118, 20 *non modo contradicendo nemo audeat impedire, sed omnes potius — suscipiant. Non modo nihil — sed* XI: 250, 28 *non modo nihil cuiquam adimunt — sed ultro — pecunias largiuntur. Non modo nullus — sed ne — quidem* XI: 257, 14 *non modo nullum popularium deprecatus sum, sed ne te quidem ipsum — verbo saltim adii. Non modo — sed ne — quidem* III: 105, 4 *vos — non modo amoenitas locorum aut nobilitas urbium, sed ne ipsa quidem victoriarum vestrarum lætitia remoratur. Ne — quidem — non modo* IV: 127, 18 *ne nutus quidem possunt, non modo dicta revocari.*

O si pro *utinam* apparet X: 236, 16 *o si nunc mihi facultas daretur sermonis — figurandi!* Apud optimos script. sol. orat. non invenitur[1], et tres loci commemorantur: Virg. Aen. VIII: 560. XI: 450. Sen. contr. 1, 6, 7.

[1] Cfr Dræger. Hist. Synt. I: p. 315.

Si quidem, quod apud Cic. semper cum indicativo, apud poster. ut Plin. Lampr. Lactant cum coniunctivo iungitur[1], in pan. semper indicativus sequitur, et idem fere significat ac *quoniam*. Omnes locos, ubi exstat, Götze in dissertatione, quam supra dixi, pag. 42 enumeravit, quare eos non affero.

Utrumne — an invenitur XII: 276, 7 *ut plane in ambiguo sit utrumne te magis nostris mentibus virtus an optutibus vultus insinuet.* Fortasse etiam VIII: 189, 7 *o nos utrumne verecundos nimium dicam an satis gratos?* (ubi cod. A habet *o nos utrum nos;* verisimile est legendum esse: *o utrum nos.) Utrumne — an* apud Hor. Curt. Sen. Tac. Col. Lactant. reperitur; apud Plautum et Cic. *utrum* et *ne* per aliquod verbum disiuncta sunt. Cfr Dræger. Hist. Synt. II: p. 468.

Ve encliticum, quod apud omnes script. Latinos reperitur et apud Cic. usurpatur, ut aut eosdem numeros coniungat aut verba, quæ, quod ad formam vel stirpem attinet, inter se similia sunt, exstat III: 104, 15 *semper aliquid agunt agendumve curant.* 106, 21 *germani geminive fratres.* IV: 124, 26 *bonis malisve artibus.* 129, 26 *veris autumnive clementia.* 130, 7 *fovendis honorandisve.* VII: 165, 25 *Persarum Cydonumve tela.* VIII: 191, 19 *quis Tagus quisve Pactolus.* IX: 206, 11 *gladio telove.* XII: 287, 4 *ut parcior tardiorve tempore quem modove decipias.* 287, 14 *Hortensio Lucullove.* 308, 21 *fugiens resistensve.* 312, 20 *quo ære aurove.* 291, 4 *silvarum intervalla vel flumina montesve.* 305, 5 *sui tuive respectus.* 305, 19 *nec ullum ille consilium ullamve rationem aut denique spem — sequebatur.* Cfr Dræger. Hist. Synt. II: p. 138 sq.

De præpositionibus.

Absque cum abl. iunctum i. s. q. *præter* III: 108, 23 *absque paucissimis.* (Gell. Solin. Symm.)[2]. Apud

[1] Cfr Dræger. Hist. Synt. II: p. 712.

[2] Cfr Hand. Turs. I: p. 69.

Cic. semel, apud Plaut. Quint. Amm. poster. idem est ac *sine*[1].

Ad hoc i. q. *præterea* vel *huc accedit quod* IV: 123, 6. V: 140, 9. IX: 195, 5. XII: 275, 10. 283, 12. 291, 24. (Sall. Liv. Tac.) *Huc accedit quod* reperitur XI: 245, 26.

Circa translato sensu pro *de* II: 100, 7 *nullo circa te livore contendunt.* (Hor. Sen. Plin. Suet. poster.)[2]

Cis temporalem vim habet, i. q. *intra* XI: 256, 6 *cis pauculos dies.* Præter Plautum, a quo vox semper ad verbum, quod est *paucus*, posita est, utitur verbo Aurel. Vict. Cæss. 42, 1[3]. Localem vim habet IX: 203, 6 *cis Padum.*

Citra, i. q. *sine* VIII: 187, 16 *citra ullam petendi molestiam.* (Sen. Plin. Suet. Tac.)[4]. XII: 309, 5 codd. præbent: *quis umquam ultra spem timuit?*, ubi Bæhrens *citra* prave coniecit. Nam in hoc capite dicuntur homines timere, quamdiu incertum est, quis exitus futurus sit; sed quum exitus sit certus, quum spem quasi præterierint, non amplius timent. Itaque hic locus significat: quis umquam timuit, quum nulla spes esset, quum spem præterisset. Quam ob rem retinendum est *ultra*. XII: 282, 27 legitur: *non contentus ipse ultra vitia recessisse aliorum vitiis corrigendis curam adiecisti;* ubi Hauptius *ultra* in *citra* correxit. Sed dubito an *ultra* servandum sit. Etenim quum a vitiis liber factus esset, supra vitia elatus erat et ultra vitia pervenerat. Localem vim habet III: 114, 14 *citra Mæotim.*

Ex locum vel statum significat, ex quo alqd fit IX: 211, 20 *ille, dum dicimus, gaudet e cælo.* Cfr Cic. Verr. V: 66 ex cruce Italiam cernere. Curt. IV: 19, 11 e muris propugnantes. Cfr Dræger. Hist. Synt. I: p. 633.

[1] Cfr Dræger. Hist. Synt. I: p. 638.

[2] Bagge: de elocutione C. Suetonii Tranquilli. Dræger. Hist. Synt. I: p. 618.

[3] Dræger. Hist. Synt. I: p. 615.

[4] Dræger. Hist. Synt. I: p. 616.

In. Accusativum exspectes pro ablativo IV: 124, 16 *hoc ego salarium – in accepti ratione perscribo.* Cfr Cic. Tusc. I: 15 in his libris sua nomina inscribunt[1]. Insolenter IV: 124, 9. 126, 8 *salarium me liberalissimi principes ex huius rei publicæ viribus in sexcenis milibus nummum accipere iusserunt,* h. e. *salarium sexcenorum milium nummum.*

Intra, quum localem vim habeat, rarissime apud Cic. Cæs. Liv. poster. de motu adhibetur. Exstat XII: 303, 10 *postquam intra coniectum teli acies utraque promovit.* Cfr Dræger. Hist. Synt. I: p. 612.

Iuxta pro *secundum* ordinem significans II: 90, 18 *iuxta parentes urbis et statores deos Herculis templa venerantur.* (Liv. Plin. Tac.). Idem est quod *pro* X: 230, 15 *iuxta magnitudinem exanclandi operis erigitur.* (Apud Liv. semel, apud script. infimæ ætatis sæpe.) Localem vim habet II: 92, 19 *præcipitanti Romano nomini iuxta principem subisti.* Nusquam apud Plaut. et Cic. invenitur.

Ob locali vi usurpatur XII: 309, 28 *ob os eius oculosque – flagra quatiebas.* Causam significat, i. q. *propter* V: 145, 9 *ob virtutem felicitatemque vestram.* VIII: 183, 13 *ob hæc – merita tam prisca.* III: 102, 25. IV: 118, 15. IX: 208, 2 *ob hoc (quod* sequente).

Per. II: 100, 22 *per quietem.* Ita Justin. I: 9, 4. Suet. Cæs. 81. Tac. Hist. IV: 83. Cic. dicit aut in quiete, ut Cic. Div. I: 28. Acad. II: 16, aut secundum quietem, ut Div. II: 66. Plautus: in quiete. Cfr Cic. Top. 20 per somnum, vinum.

Præ, i. q. *propter* apud optimos script. semper in sententiis negativis usurpatur, sed in enuntiato affirmativo III: 111, 10 *clamare omnis præ gaudio.* Sed XII: 306, 6 *præ timore non fugiunt.* In affirmativis sententiis etiam apud Plaut. Curt. Suet. Comparativam

[1] Dræger. Hist. Synt. I: p. 652.

vim habet VIII: 180, 27 *assiduitate præsentiæ tuæ præ ceteris fruitur.* XII: 280, 17 *illud tamen præ ceteris mirum.* (Plaut. Cic.; nusquam apud Sall.)

Simul præpositio est cum abl. casu iuncta II: 99, 8 cunctis simul amnibus.

Sub cum abl. de tempore iunctum, quod apud Cic. non invenitur, exstat V: 135, 21 *sub hac occasione.* Adnotandum est XII: 298, 6 *sub nomine pacis,* ut apud Liv. Tac.

Tenus cum genitivo locali sensu iungitur X: 230, 7 *crurum tenus pendens* (sc. lorica). Ita Virg. G. III: 53. Cfr Aen. X: 210 (laterum tenus). (Cic. Liv. Quint. Apul.) Cum ablativo translata vi II: 91, 24 *neque enim specie tenus ac nomine fortuna imperii consideranda est.* IV: 126, 26 *vultu tenus significatas voluntates.* Cfr Amm. XIV: 7 specie tenus. Tac. Ann. XV: 6 nomine tenus. Cic. legg. III: 6, 14 verbo tenus.

Ultra temporalem sensum habet ut apud script. arg. æt. VIII: 186, 23 *tibi — ultra omnium nostrum fata victuro.*

De formis declinationis et coniugationis vide Götzii librum p. 14 sqq. et Burkhard in Wiener-Stud. VIII: 1 p. 170 sqq.

Comparativus gradus aliquot verborum apud optimos script. sol. orat. non usurpatus invenitur X: 223, 1 *commendabilior* (Treb. Poll. trig. tyrann. 16). XI: 250, 8 *dexterior* (Varro, Ov. Suet. Justin.) X: 240, 2 *emendatior.* (Petron. Ulp. dig. Capit.) XII: 313, 17 *feralior.* VII: 167, 12 *sacratior.* (Mart. Sil. Plin.) Superlativus gradus: X: 235, 18 *cumulatissimus* (Plaut. Aul. 5, 16.) IX: 195, 23 *despectissimus.* VIII: 181, 23 *paucissimus.* (Sall. Cels.) VII: 177, 26 *præsentissimus* (Quint. Amm. Col.) II: 89, 10 et multis aliis locis: *sacratissimus* (Sidon. Dig.)

De syntactica ratione.

Quum plerumque scriptores panegyricorum optimos auctores Latinos secuti sint, ea, quibus ab his abhorrent, aut quæ apud hos minus usitata sunt, afferam.

De casibus.

Multis rebus, quæ ad hoc caput pertinent, supra tractatis pauca, quæ digna sunt memoratu, addam.

Genitivus qualitatis insolentius usurpatur XI: 258, 18 *parvi autem, imperator, putas esse beneficii quod rogandi mihi periculum remisisti?,* quod idem fere est ac: parvum putas esse beneficium etc. Eodem modo VIII: 191, 21 *non enim maioris est muneris abs te accepisse,* h. e. non enim maius est munus abs te accepisse quam debitum non solvisse, debitum remitti.

De *genitivo partitivo* adnotandum est VI: 154, 3 *cum ad id loci venero,* quæ locutio apud Sall. reperitur. VIII: 182, 15 *usque ad id temporis,* ut apud Cic. Hic genitivus sequitur etiam post verbum quod est *eo* X: 222, 17 *cum eo dementiæ processerit.* Ita Sall. tribus locis, Liv.

Nonnulla adiectiva, quæ apud optimos script. numquam aut rarissime genitivum pro ablativo aut præpositione regunt, cum genitivo coniunguntur. XII: 309, 19 *certo extremorum* (Virg. Tac. Suet. Sil.). Cfr Cic.: certiorem facere alcis rei. X: 236, 11 *digno ignaviæ et sævitiæ exitu* (Balb. ap. Cic. Att. 8, 15, Liv. Tac. Virg.) XII: 278, 5 *ævi maturus* (Virg. Aen. V: 73). X: 226, 7 *ævi immaturus.* IV: 123, 25 *præscius futurorum* (Poetæ, Tac. Tertull.) X: 227, 21 *securus sui* (Virg. Aen. I: 350, Hor. Ov. Stat. Quint. Sen.) XI: 255, 9 *annonæ vacuam.* XI: 258, 2 *opum vacuo* (Sall. Jug. 90, 1. Hor. Sat. II:

2, 19. Tac. Ann. XV: 8). De his adiectivis cfr Dræger. Hist. Synt. I: p. 474 sqq. *Similis,* quod apud opt. script. semper fere genitivum pron. person. regit, cum dat. iungitur X: 216, 16 *cum liberos sibi similes intuetur.* Sed cum gen. X: 242, 24 *tui similis.* De rebus cum gen. iungitur IV: 129, 15 *quod in Aegæo mari semel contigit, — eius nunc simile — evenire.* Cfr Dræger. Hist. Synt. I: p. 445. *Superstes* cum dativo VIII: 186, 21 *quem superstitem sibi libenter optarent.*

Genitivus pron. personal. ad substantiva, adiectiva, participia sæpissime in pan. apponitur, ubi alii script. præpositionem usurpassent, atque etiam quum pron. poss. exspectes, genitivus exstat. Omnes hos locos, ubi gen. aut obiectivus aut subiectivus est, Götze in dissertatione sua p. 48 sq. enumerat, quibus addatur VI: 153, 1 *certis sui notis,* et fortasse etiam II: 100, 4 *hi vero conservatores tui,* ubi nescio an *tui* genitivus casus sit. Inter hæc a Götzio allata exempla duo sunt, ubi gen. partitivus exstat, VIII: 189, 24 *aliqua sui parte,* et XII: 303, 28 *reliqua sui parte.*

Dativus ethicus semel in pan. reperitur XI: 252, 8 *is si nunc mihi in idem illud editum reponatur.*

Dativus locativus, ut finem motus alicuius significet, pro præpositionibus, quæ sunt *ad* et *in,* usurpatur, ut apud poetas et script. arg. et poster. æt., VI: 159, 19 *quem — sol ipse invecturus cælo excepit.* X: 226, 3 *ab instituto cursu non ingrato deverticulo recedamus.* 235, 1 *suos instruit sic ripæ locatos.* XII: 285, 7 *tu amicitiam — solio recepisti.* Cfr Dræger. Hist. Synt. I: p. 426.

Dativus agentis qui vocatur pro præpositione quæ est *ab* et ablativo casu appositum est ad verba in temporibus compositis collocata, ut omnes scriptores Cæsare, Vell. Curt. Petron. exceptis usurpant, V: 135, 10 *adoratæ sint igitur mihi Sarmaticæ expeditiones.* IX: 193, 3 *latine et diserte loqui illis ingeneratum est, nobis elaboratum,* ubi fortasse dativus positus est, ut verbo præcedenti, quod est *illis,* responderet. IX: 197, 13 *tibi — pugna pugnata est.* X: 236, 13 *mihi dicta sunt.* XII: 276, 20 *qui gentibus adoratur.*

Accusativus Græcus invenitur XI: 268, 10 *utrumque latus consulibus prætextatis tectus incedit.*

Accusativus verbalis, qui apud antiquos script. rarissime, apud Ciceronem aliquot locis, apud poetas et script. posteriores sæpissime apparet, reperitur X: 224, 5 *flagrabant verendum nescio quid.* 227, 9 *bellicum strepunt nomina.* XI: 255, 31 *imperator serenum renidens.* 240, 14 *venerandum quiddam et amabile renidentem.* Cfr Dræger. Hist. Synt. I: p. 388.

Ablativus loci, qui significat, quo loco aliquid fiat, sine præpositione quæ est *in* positus est, quum substantivum attributum habeat, quod est *omnis,* III: 110, 3 *omnibus oppidis matres Italæ pensa e manibus abiecerunt.* VII: 170, 2 *cum — ripis omnibus usque ad Oceanum dispositus miles immineat,* ubi tamen *ripis omnibus* dativus esse potest aut ad *immineat* aut ad verbum quod est *dispositus,* ut in exemplo supra allato X: 235, 1 (ripæ locatos), relatus. XII: 286, 6 *decantatum omnibus scenis — laudet officium* (sc. vetustas). Ita semel Cic. Verr. 2, 54, ubi Halm coniecit: in omnibus; Cæs. Curt. alii. Eodem modo IX: 202, 3 *toto orbe.* Sed XI: 254, 26 *toto in orbe terrarum,* ut etiam Cic. Phil. X: 5 et multis aliis locis, qui inveniuntur apud Dræger. Hist. Synt. I: p. 524. Recte etiam scriptum est X: 235, 10 *hoc loco.* Contra IV: 117, 9 *isto in loco.* IX: 199, 8 *superioribus in locis.* Insolenter nullo adiectivo apposito II: 98, 21 *omnia commoda cælo terraque parta.* (Liv. Cæs. poster.)

Ablativus loci, qui significat, quo ex loco aliquid moveatur, sine præpositione est, quum apud opt. script. sol. orat. cum præpositionibus, quæ sunt *de, ex,* coniungatur, III: 110, 13 *ecquinam dei — his gradibus in terras cælo descenderent?* (Poetæ, Sall. Liv. Val. Max.) V: 146, 11 *quem ut cælo delapsum intuebantur.* (Poetæ,

Liv. I: 16, 6 *cælo repente delapsus.* Cicero autem: *de, ex* cum abl. casu.) VII: 166, 20 *ad terras cælo missa perveniunt.* VIII: 188, 12 *in terras cælo missa perveniunt.* X: 224, 11 *cælo lapsi.* XI: 249, 18 *lapsum cælo excepere Palladium.* (Cfr Liv. I: 31. XXII: 1. Virg. Aen. VI: 191.) Vide Dræger. Hist. Synt. I: p. 498 sqq.

Ablativus temporis paucis locis idem significat atque accusativus temporis, h. e. indicat, quamdiu aliquid fiat. III: 112, 19 *ut omni ævo careant aditu suorum.* VI: 150, 11 *ut — omnibus duret ætatibus.* VIII: 183, 5 *septem mensibus clausi.* IX: 203, 21 *toto illo tempore — eius formidinem protegebant.* 208, 17 *quæ toto sexennio passa es.* XI: 270, 21 *idque omni vitæ meæ tempore summis opibus enisurum elaboraturum effecturum* (sc. me polliceor). Cic. quoque paucis locis hoc modo ablativo utitur, ut de off. III: 2. Præterea Cæs. Sall. Tac. poster. Contra recte II: 97, 8 *regionem, quam sæpe uno die impiger viator emensus est.* IX: 195, 3 *mille et sexaginta annis contractas ex toto orbe divitias.* X: 239, 11 *quidquid mali sexennio toto dominatio feralis inflixerat.* His locis dicitur, quantum temporis opus sit, ut aliquid fiat et perficiatur.

Ablativus temporis præterea significat, quando aliquid fiat. Insolenter nulla præpositio apposita est XII: 297, 12 *pace sævitum.* Ita Cic. quoque Acad. 2, 1. Cum præpositione, quæ est *in,* iungitur IV: 117, 16 *hoc ipso in tempore.* V: 133, 12 *hoc in tempore.* X: 215, 21 *in annis pubescentibus.* 216, 12 *in annis primoribus.* 225, 2 *quodam in bello.* 233, 17 *illo in bello.* XII: 271, 14 *hoc in tempore.* 272, 5 *in ipso dicendi tempore.* Ita Sen. Tac. Quint. poster. Pro ablativo puro vel *intra* et acc., quum quæratur, intra quod tempus aliquid fiat, *in* cum abl. reperitur XI: 266, 9 *in pauculis mensibus — Libyæ — regnator est.* Quam sæpe aliquid fiat, significatur XI: 261, 29 *cum me — uno in anno ter videat honoratum,* et 261, 30 *uno in anno multiplices fructus agro uni dedit.* Sed paulo infra 262, 1 *æstate una amplius quam semel messuit,* et 262, 2 *num cui uno autumno unoque vineto vindemia triplex fluxit?* Apud Caton. semel, apud Plin. sæpissime præp. omittitur.

Ablativus pretii, qui est *maximo,* insolenter pro eo quod est *plurimo* vel *maximi,* usurpatur XI: 259, 7 *maximo vendit beneficium qui preces accipit.* Nullum eiusmodi exemplum cognovi.

De adiectivis.

Adiectiva et participia masc. gen. sing. num. pro substantivis usurpantur, ut etiam apud Ciceronem, apud quem hæc tamen rariora sunt quam apud posteriores. Hos locos adnotavi: in genitivo: VII: 178, 18 *præsentis.* IX: 206, 32 *gestantis.* X: 232, 25 *considerati — victi.* XI: 246, 7 *laudantis.* In dativo IX: 196, 10 *regenti.* In accusativo X: 217, 15 *intuentem.* 233, 4 *pugnantem.* Eodem modo sæpissime gen. casus plur. num. II: 99, 25 *ducentium.* IV: 117, 7 et 124, 21 *circumstantium.* 131, 14 *intuentium.* 131, 26 *cupientium.* VI: 148, 27 *gaudentium.* 149, 24 *regentium.* VII: 168, 3 *triumphantium.* 176, 1 *succedentium.* VIII: 180, 21 *assistentium.* IX: 208, 25 *morientium.* X: 214, 21 *audientium.* 233, 10 *cadentum.* XI: 245, 11 *præsidentium.* 248, 14 *administrantium.* 249, 26 *gaudentium.* 261, 8 *adulantum.* 267, 19 *admirantium.* 267, 20 *lætantium.* XII: 286, 18 *debentium.* 301, 31 *resistentium.* 304, 28 *tripudiantium.* 306, 23 *mirantium.* 314, 19 *stupentium.* In dativo VII: 176, 23 *merentibus.* IX: 194, 26 *considerantibus.* X: 233, 14 *bellantibus.* 237, 12 *referentibus.* 238, 10 *navigantibus.* 239, 1 *obsessis.* XI: 249, 28 *cernentibus.* 254, 11 *recordantibus.* XII: 279, 16 *serentibus.* In accusativo IV: 117, 26 et X: 224, 8 *audientes.* X: 218, 11 *in abiectos.* 227, 24 *invictos.* In ablativo X: 218, 13 *a sapientibus.*

Neutrum sing. adiectivorum et participiorum substantivorum loco sæpe positum est, ut in nominativo V: 148, 27 *semel factum.* In genetivo VIII: 190, 9 *præ-*

teriti. X: 213, 24 *futuri.* 219, 10 *fandi ac nefandi* (Cfr Virg. Aen. I: 543). 225, 10 *veri.* XI: 256, 3 *futuri — divini.* In ablativo VII: 174, 29 et X: 213, 9 *solito.* X: 219, 3 *ab alto.* XII: 280, 9 *reposito.* Præterea acc. et abl. sing. sæpe cum præpositione coniungitur, ut vox idem significet atque adverbium. II: 94, 11 et VI: 149, 23 *in futurum.* X: 214, 11 *in immensum.* 214, 19 *in posterum.* X: 221, 6 *in diversum.* XI: 246, 16 *in tantum.* 258, 21 *in posterum.* XII: 278, 27 *ad plenum.* IV: 123, 23 *ex proximo.* VII: 164, 22 *ex æquo* (sensu translato). VII: 176, 4 *ex æquo* (proprio sensu, sc. solo). VIII: 184, 19 *de proximo.* IX: 210, 4 *in occulto.* XII: 277, 25 *ex præterito.* Genitivus apponitur X: 239, 24 *in commune rei publicæ.* XI: 244, 25 *in id — necessitatis ambiguum.* In gen. casu plur. num. IV: 123, 26 *futurorum.* VIII: 191, 28 *reliquorum.* X: 213, 23 *præsentium.* 213, 28 *superiorum* (Tamen fortasse ex verbis proximis audiatur: *annorum*). 214, 12 *humanorum — cupitorum.* 214, 18 *superiorum.* 217, 1 *recte factorum.* XII: 273, 11 *tristium.* 293, 1 *tristium.* 313, 26 *præsentium.* In dativo V: 137, 25 *subiacentibus.* X: 213, 28 *venturis.* (fortasse sc. annis). 226, 6 *instantibus.* In ablativo II: 94, 27 *pro futuris.* V: 139, 12 *in singulis — omnibus.* VII: 172, 7 *præsentibus.* VIII: 188, 27 *in conditis.* 190, 10 et 191, 13 *reliquis.* X: 214, 18 *præsentibus.* 214, 25 *in ipsis—publicis.* 225, 23 *in omnibus.* 226, 5 *de præteritis.* XII: 293, 5 *in bonis.* 294, 32 *raptis.* In accusativo IX: 210, 4 *in nostra.* VII: 172, 7 *futura.* X: 222, 5 *præsentia — ventura.* Adiectivis plur. num. neutr. gen. genitivus appositus est V: 143, 3 *dubia* (acc.) *bellorum.* VI: 156, 16 *belli adversa* (acc.). VIII: 183, 5 *omnia inopiæ miseranda* (acc.). IX: 206, 7 *per abrupta ripæ ulterioris.* IX: 210, 28 *amoena* (nom.) *Græciæ et deliciæ orientis* (e lectione Bæhrensii. Codd.: grecia et deliciæ orientis). X: 213, 15 *operta* (acc.) *mentium.* XI: 252, 14 *lata* (acc.) *camporum.* XI: 255, 5 *laborum aspera* (acc.) 257, 21 *omnia animi operta* (acc.). 267, 13 *tempestatum incerta* (acc.)

XII: 291, 29 *in remota terrarum.* Cum præpositione iuncta adiectiva neutr. gen. more adverbii usurpantur III: 104, 1 *in adversa.* V: 134, 10 *in diversa.* Comparativus gradus tali modo usurpatur XI: 250, 20 *in maius.* XII: 277, 15 *in melius.* Nonnulla eiusmodi exempla apud Cic. quoque inveniuntur, sed apud Liv. et posteriores frequentiora sunt.

Adiectivum ad subiectum enuntiati refertur, ubi adverbium exspectes X: 233, 2 *cum — hosti multus instares.* XI: 267, 3 *si principi serus occurrerem.* XII: 305, 21 *nunc dexter aut lævus, nunc vestigiis suis obvius incertum iter ancipite ambage texebat.* (Poetæ). Subiecto attributum est, non obiecto V: 146, 8 *obvius sese maiestati tuæ triumphus effudit.* XII: 304, 28 *ferebant se obviæ tripudiantium catervæ.* (Cfr Virg. Aen. I: 314 cui mater — sese tulit obvia). Contra VIII: 186, 18 *miratus es — unde se tibi tanta obviam effunderet multitudo.*

De pronominibus.

Ratio *reciproca,* quam optimi script. alius alio modo exprimunt, in pan. aut pronomine personali et possessivo verbis quæ sunt *invicem* et *mutuus* additis aut pronomine solo aut verbo quod est *invicem* significatur. Pronomen solum reperitur III: 108, 16 *ad conspectum vestri.* *Invicem* et *mutuus* exstant II: 96, 15 *in quo vobis mutua præbuistis omnium exempla virtutum atque invicem vos auxistis.* 97, 11 *vos — tantam potestatem mutuo vobis impartire divinæ — fiduciæ est.* III: 106, 19 *quanta vosmet invicem pietate colitis.* 106, 26 *obtrectant invicem sibi artifices.* III: 107, 23 *dum virtutibus vestris favetis, dum pulcherrima invicem facta laudatis.* 108, 8 *invicem vosmet imitamini, invicem vestros affectatis annos.* 109, 5 *pervecti estis ad vos mutui desiderii celeritate.* 112, 4 *talia vobis dedistis omina, cito ad conspectum mutuum reversuri.* 112, 9 *ut conspicere vos invicem complectique possitis in manu vestra est.* 115, 20 *invicem dimicaturi.*

VI: 149, 15 *ut — transire invicem in pectora vestra cupiatis.* 153, 9 *quod invicem vobis verecundia negabat.* 158, 15 *quæ in vobis invicem — admirari et amare debetis.* IX: 200, 18 *scalas invicem nexas.* XII: 303, 21 *se invicem festinando tardare.* Ita script. arg. æt., ut Plin. min.

Pronomen reflexivum insolenter occurrit, quum non ad subiectum, sed ad aliud verbum enuntiati referatur III: 109, 11 *anhelitus hominum circa sua ora concreti.* IV: 128, 25 *ipsum mihi videbor ad vitam tali professionis suæ* (h. e. avi) *successione revocasse.* VIII: 180, 5 *sed quoniam id non potest, etsi gestit animo* (sc. civitas), *quod natura non patitur clamoresque suos — exaudiri a te non sinit interiecta longinquitas sua* (h. e. civitatis). IX: 202, 10 *deditosque hostes gladii sui collisi obtunsique tutantur.* X: 226, 11 *tu ferocissimis regibus Ascarico et comite suo* (h. e. Ascarici) *captis — auspicatus es.* 240, 8 *ita temperantiam ingenerare omnibus cupit ut eam non ad virtutum suarum decus ascribendam — arbitremur.* Hoc apud omnes scriptores reperitur, etiam apud Cic., rarissimum licet apud eum sit. Cfr Dræger. Hist. Synt. I: p. 67 sqq. Madvig. Lat. Sprogl. § 490. Pronomen demonstrativum pronominis reflexivi loco positum est XII: 290, 9 *qui — putabant, nisi eos intra repositum Palatinæ ædis inclusos — veneratio occulta consuluisset.* Ita apud Cic. quoque et Cæs. paucis locis. Cfr Dræger. Hist. Synt. I: p. 73.

Quisquis pronominis indefiniti loco usurpatur III: 113, 30 et XI: 245, 14 *quoquo modo.* Ita *quicumque* V: 136, 16 *quacumque alia ratione.* XI: 270, 24 *honores in me tui non — ad quemcumque delati.* XII: 285, 14 *honoribus — quos in quemcumque conferre imperatori necesse est.* V: 142, 20 *per quoscumque fluctus eamus.* Eodem modo *qualiscumque* V: 143, 8 *proposito qualicumque proelio.* VII: 178, 30 *hanc meam qualemcumque vocem.* IX: 209, 5 *cum qualemcumque militem fortissimum facias.* 211, 3 *militem, quem qualemcumque ordinat disciplina.* X: 216, 10 *qualescumque diligant. Quantuscumque* V: 133, 3 *ex quantacumque desidia. Quantuluscunque* IV: 129, 8 *ut non quantulamcumque memoriam suorum excitare — cupiat.* V: 132, 8 *haud immerito me ultra quam ætas et quantulacunque studii mei ferret opinio perturbari confiterer.* VII: 160, 26 *hunc quantulumcumque — sermonem.* 179, 17 *non eloquentiæ sed quantulæcumque prudentiæ testimonium. Undecumque* XII: 295, 5 *quidquid undecumque converrerat.* Apud optimos script. invenimus: quacumque ratione, quocunque modo, quoquo modo.

Quis interrogativum adiectivi loco usurpatur non solum de hominibus sed etiam de rebus. II: 93, 4 *quis deus?* 95, 4 *quis umquam ante vos princeps?* IV: 123, 28 *quis enim melior est usus eloquentiæ?* V: 138, 6 *quis deus?* VII: 166, 16 *quis enim te Cyllarus aut Arion posset eripere?* IX: 204, 10 *quis enim miles — venderet?* X: 237, 19 *quis triumphus illustrior?* XII: 287, 5 *quis debitor?* — II: 97, 19 *quid enim ille aliud expetivit?* Contra II: 94, 30 *quod autem maius evenire potuit? Qui* substantivi loco pro eo quod est *quis* XII: 285, 2 *inde facilius inveneris qui pecuniam ex ærario quam qui ex animo fidem prompserit. Quis* de duobus dicitur pro eo quod est *uter* II: 97, 2 *cum nemini fateretur quem prius edidisset in lucem.* Sed II: 100, 3 *certaverunt tamen, uter suum tibi nomen imponeret.*

Aliquis in sententiis negativis verbo quod est *sed* sequente reperitur II: 93, 28 *ut — non profugus aliquis — sed victoriæ tuæ gloria nuntiaret.* X: 244, 1 *nec aliquis habendi quam plurimum metus, sed — magna verecundia non habendi.* Cfr Dræger I: p. 90 sq. In sententia finali VI: 155, 11 *ne — in alicuius facti communitate desereres.* In sententia interrogativa XI: 248, 23 *num aliquid — facere debuit Iulianus?* 266, 12 *videte num — aliquid de prioris vitæ mansuetudine — mutaverit.* In sententia condicionali XI: 266, 2 *si aliqui sunt improbi.* IX: 212, 20 *si est aliquid, quod — denegetur.* Contra III: 114, 12 *si qui — percenseat,* ubi *qui* substantivi loco pro verbo quod

est *quis* usurpatur. Interdum *aliquis* pro eo quod est *quis* apud Cic. quoque gravitatis causa usurpatur.

Quisquam in abl. casu, quod rarum est, XI: 270, 4 *a quoquam mortalium.*

Nemo cum subst. coniungitur V: 143, 27 *nemo fere Romanus.* VII: 171, 7 *neminem hominem.* Pro verbo, quod est *nemo, nullus* invenitur XI: 248, 9 *quod nullus refelleret.* XII: 272, 18 *quod ut dicerem nullus adigebat.* 295, 17 *quod nullus habiturus sit.* Dat. *nemini:* II: 97, 1 *cum nemini fateretur.* VII: 165, 4 *quod eloqui nemini voluit.* VIII: 184, 11 *qui fortunis nemini possumus æquari.* X: 217, 5 *nemini fas est.* Sed dat. *nulli* pro eo quod est *nemini,* ut apud Cæs., XI: 254, 25 *nihil cuiquam auferatis, — nulli gratificemini, in neminem sæviatis.* XI: 265, 32 *nemo — pulsus, nemo — prohibitus, nulli palatii fores clausæ sunt.* 269, 22 *nemo — consecutus est, nulli plus oneris impositum.* Pro verbo quod est *quisquam ullum* videmus positum XI: 263, 26 *neque enim ullum — puto — dilectum* (sc. esse).

Unusquisque paucis locis exstat. VI: 149, 31 *ut nihil obsit unumquemque esse mortalem.* XI: 269, 3 *sed habet aliquid unusquisque præcipuum.* Ante pron. reflex. X: 214, 23 *cum — unusquisque privatim suas cogitet* (sc. utilitates).

Quisque usurpatur, ubi melius *unusquisque* poneretur X: 213, 15 *extat in vultu cuiusque hilaritatis publicæ decus.* Ita etiam Cic. rep. 6, 24. Att. 4, 2, 4. Quint. Plin. Suet. A pronomine refl. disiungitur XII: 284, 7 *subiit quemque privatim sui poenitentia.* Cum comparativo insolenter iungitur XI: 260, 20 *tanto enim quisque vir melior quanto pecuniosior habebatur.* (Cic. Rosc. com. 11. Hor. Plin.). Post verba in positivo gradu collocata, quæ vim superlativi gradus habent VI: 152, 30 *quamquam enim ipsi ferant difficillimam esse præcipuæ cuiusque formæ imitationem.* (Sed XI: 269, 3 *sed habet aliquid unusquisque præcipuum*). X: 216, 4 *rapitur quippe ad similitudinem suorum excellens quæque natura.* (Liv. et Tac.) Tamen in his duobus exemplis *quisque* fortasse usurpatum est, quod verbum superlativi gradus et pron. refl. antecedunt. — XII: 287, 9 *cum altero quisque conferimus.* XII: 302, 16 *alterum quisque complexi per abrupta glomerantur* (h. e. alter alterum vel inter se).

Uterque de duobus in plurali numero insolenter usurpatur III: 104, 15 *utraque vestra numina.* III: 108, 27 *utraque mundi lumina.* 110, 9 *ex utrisque Alpium iugis vestrum numen effulsit.* XII: 276, 16 *utraque meliora sunt* (de animo et corpore). Adnotandum est IV: 118, 8 *si uterque experiundi causa officia commutent,* ubi verbum in plur. num. positum est, quod nusquam apud Cic., sed sæpe apud alios ut Cæs. invenitur.

Alius — alius pro voce quæ est *alter — alter* reperitur IV: 118, 9 *ut alium quidam tubarum sonus —, alium quædam triumphi schema deterreat. Alius* et *alter* inter se respondent XII: 276, 15 *aliud ex altero crescit* (de animo et corpore). *Unus — alter* XII: 273, 18 *qui imperatoris unius tueretur ætatem, alterius iuvaret laborem.* 284, 24 *cum duplex fuerit iste dilectus, unus ex iudicio, alter ex fato.* 308, 11 *ut fateatur semet uni victoriam, alteri debere vindictam.*

Pronomina neutr. gen., quæ ad certa substantiva non referuntur, in iis quoque casibus sæpe usurpantur, ubi non ex forma sed e nexu sententiæ apparet, cuius generis sit pronomen, ut III: 106, 23 et IV: 120, 1 *ex quo manifestum est.* VII: 170, 23 *ex quo nemo dubitat.* VIII: 186, 1 *ex quo sæpe accidit.* IX: 210, 25 *ex quo ipso apparet.* In his exemplis causalis vis est, sed temporalis sensus reperitur VIII: 184, 7 *ex quo eam novi census exanimarat acerbitas.* 190, 27 *ex quo tu imperare coepisti.* — IV: 120, 26 *in quo ego — nihil laudi meæ tribuo.* V: 136, 2 *in quo — providentia tua — apparuit.* 141, 10 *in quo præcipue consulendum fuit.* VI: 154, 31 *in quo uno querelam rei publicæ pæne meruisti.* VII: 169, 12 *in quo prima consilii tui fuit ratio.* VIII: 188, 14 *in quo — esset quod fortasse reprehenderet.* X: 234, 12 *in quo quidem*

tantum momenti fuit. — VI: 157, 27 *cuius simile etiam tu — facile fecisti.* X: 237, 21 *dicam itaque — quo uno — videor — significaturus.* XII: 271, 24 *quibus — cogitatis adeo sollicitor.* 302, 30 *quo quidem maxime tuus gaudebat exercitus.* — V: 133, 12 *quamquam multa mihi ex illis quoque — transeunda sunt.* X: 213, 24 *sed lenocinatur his iam futuri ratio.* Præterea compluribus locis post pron. demonstr. verbum relativum aut coniunctio finalis et conditionalis sequuntur, ut IV: 123, 32 *satis me verborum fecisse arbitror — de eo quod mihi ad dicendum prius constitueram.* IV: 124, 23 *in hoc ego maximos esse fructus præmiorum puto ut — habeamur.* IV: 125, 1 *hoc ipso præmii gloria continetur ne — videamur.* 125, 2 *hoc uno assequi possumus, si — ducamus.* 129, 15 *quod semel contigit — eius nunc simile — evenire.* V: 133, 10 *sermonem ab his quæ secuta sunt inchoare.* VII: 171, 22 *quid amplius adipisceretur his quæ a te fuerat consecutus.* X: 234, 27 *hoc uno — offenditur si — faciat.*

De modis et temporibus.

In sententia relativa, quæ causalem vim habet, indicativus positus est X: 228, 20 *quippe cui stipendia sunt pauciora quam proelia* (Sall. Liv.). Tamen cod. A præbet: *sint*, quæ lectio cur non retinenda sit, intelligere non possum. — Insolenter ut apud poetas indicativus sequitur IX: 200, 18 *fuit etiam qui — eminus vidit exercitus.* Sed ut etiam apud Cic., quum pronomen aut adiectivum additum sit, ind. positus est VII: 160, 16 *satis multi sunt qui me putant nimium multa dicturum.*

Post verba relativa generalia coniunctivus iterativus apparet, ut sæpe apud Liv. et poster., IX: 207, 3 *quacumque numen inveheretur.* (Sed 207, 21 *quacumque progressus es.*) XII: 305, 3 *quocumque tulisses gradum.* VI: 155, 24 *utcumque fas fuerit.* Sed cum ind. VI: 158, 1 *utcumque æquo animo tulerunt.*

Coniunctiones concessivæ, quæ apud optimos script. cum ind. iunguntur, sæpe cum coniunctivo ponuntur. *Etsi* cum coniunctivo temp. præt., ut apud Iustin. et poster., XII: 277, 15 *quos etsi ad portum mutati in melius flatus revexerint, diu tamen vitiorum turbo iactavit.* 278, 14 *quos etsi plurima laude dotaverit — vetustas, nihil tamen plus blandita præstitit.* 308, 14 *etsi per te confeceris quæ volebas, per fortunam tamen plus adeptus es.* *Quamquam* cum coniunctivo pro ind., ut apud Virg. semel, Hor. Liv. poster., IV: 118, 17 *quamquam — loci tantummodo insolentia, non dicendi novitate perturber.* VI: 152, 29 *quamquam enim ipsi ferant difficillimam esse — imitationem — non tamen tantum ille cepit laboris.* VII: 161, 1 *quamquam universos animo colamus, interdum tamen — veneramur.* 166, 6 *quamquam tu — de summa rei publicæ — rettulisses, prævenerunt studio.* VIII: 189, 29 *quamquam — sub pristina sarcina vacillemus, tamen levior videtur.* XI: 266, 18 *quamquam cælesti ope salutem rei publicæ propugnatam videret, conditionem doluit humanam.* Aliis locis, ubi coniunctivus invenitur, aliis modis explicatur. *Quamvis* semper in pan. cum coniunctivo iungitur et nonnullis locis usurpatur, ubi *quamquam* exspectes. II: 100, 2 *quamvis fratres geminique essent.* IV: 128, 14 *quamvis — intermissa fuerit eorum exercendis studiis frequentatio.* V: 141, 31 *quamvis ille — gerendi eius mandasset auspicium.* VII: 161, 13 *quamvis igitur ille felicissimus dies — imperii tui natalis habeatur.* VII: 165, 18 *quamvis tunc pleno sit firmata consilio.* VII: 175, 4 *quamvis scirent oppugnandam esse — civitatem.* IX: 205, 27 *quamvis in proelium ingrederetur armatus.* X: 223, 26 *quamvis cælestia sub oculos hominum venire non soleant.* XII: 299, 22 *quamvis igitur — hoste tali abutereris nec — venires.* (Tac. et poster.)

Quod causale insolenter cum coniunctivo ponitur III: 102, 25 *ipsi illi dies — ob hoc sancti sunt ac religiosi quod tales declaraverint imperatores.* (*Ob hoc — quod,* quæ vox posterioris ætatis est pro: *ob eam causam quod,*

reperitur etiam IV: 118, 15, ubi fut. simpl. sequitur, et IX: 208, 2, ubi in or. obl. positum est).

Quum — tum. Indicativus in primo membro exstat VII: 165, 14 *cum veritas iubet, tum pietati tuæ — gratissimum est.* X: 216, 28 *cum propter ipsum magis placuit, tum studio imitationis inolescit.* Sed coniunctivus reperitur II: 89, 10. VIII: 181, 7. XII: 271, 17. 273, 9. 284, 11.

Simulatque cum plusquampf. ind. de re iterata iungitur VII: 168, 4 *simulatque in Capitolium currum flectere coeperat imperator, abrepti in carcerem necabantur.* Ita Cic. Verr. IV: 21, 27. Sall. Liv.

Ut cum imperf. ind. iungitur, ut perpetuitatem significet III: 111, 5 *ut — per mediam urbem simul vehebamini, tecta ipsa se — commoverunt.* Ita semel Cic. Verr. I: 7, 18. Liv. Curt. Cum plusquampf. ponitur V: 146, 24 *quæ singula ut respectantes adverterant, lætitiæ clamoribus concinebant.* Ita apud Cic. paucis locis, apud Cæs. semel, Liv. Tac.

Postquam cum præs. historico, ut semel apud Cic., sæpissime apud Sall., Liv. Tac. X: 217, 18 *postquam — veneramur.*

Dum plusquampf. logicum sequitur VII: 176, 29 *dum a limite paulisper abscesseras* (h. e. aberas). Unum eiusmodi locum Dræger (Hist. Synt. II: p. 607) e Liv. XXXII: 24 affert: dum in unam partem oculos animosque hostium certamen averterat (h. e. aversos tenebat).

In sententiis primariis, quæ cum sententiis condicionalibus connexæ sunt, plusquampf. ind. pro coniunctivo occurrit IX: 200, 5 *in media hostium tela deveneras et, nisi viam tibi cædibus aperuisses, spem totius generis humani et vota deceperas.* 200, 28 *in quæ nos fata proieceras, nisi te divina virtus tua vindicasset.* XII: 306, 1 *si morerer, evaseram.* Impf. ind. pro plusquampf. coni. VIII: 189, 10 *plus adhuc præstare cupiebas, si ausi fuissemus reposcere.* XII: 304, 4 *nullus finis cædendi insequendique, nisi subtraxisset — mors hostem et nox diem,* ubi

audiatur: erat, i. q. fuisset. Plusquampf. coni. pro perf. coni. coniugationis periphrasticæ reperitur V: 145, 5 *neque enim — nescimus quanto se alias furore iactasset, si fiduciam — habuisset.* Plusquampf. coni. coniugat. periphr. pro perf. coni. coniug. periphr. VII: 175, 29 *ut statim sine dubio ascensuri fuissent, nisi — sublimitas fefellisset.* Sed recte XII: 299, 20 *num tandem dubitari potest quid fuerit eo præsente facturus,* et XI: 246, 22 *testor — me multa — fuisse dicturum — si — Constantius frequentaret.* Fut. ex. pro fut. simpl. invenitur VII: 178, 25 *statim erit restituta* (sc. patria), *si videris.*

In sententia interrogativa perf. coni. usurpatur, quamquam verbum, quod sententiam regit, in perf. positum est IX: 208, 12 *qualia fuerint* (sc. verba) *clementiæ tuæ gloria nuntiavit,* i. q. ex gloria scimus.

De infinitivo.

Infinitivus historicus in aliis ex panegyricis sæpe occurrit, in aliis numquam invenitur. Locos ubi reperitur annotavi: III: 110, 18—24. 111, 9—11. IX: 201, 18—21. 203, 15 sq. 207, 8—10. 208, 1 sq. X: 231, 8—11. XII: 294, 28 sq. 303, 14—18. 303, 20—28. 305, 4 sq.

Acc. c. inf. cum particula quæ est — *ne* enclit. positus est uno loco, ut admirationem significet, ut apud alios script., IX: 193, 26 *tene, imperator, tantum animo potuisse præsumere.*

Adigere, i. q. *adducere, cogere,* semper apud poetas et Tac. cum inf. et uno loco apud Plaut. (Rud. 3, 3, 19) cum coniunctivo, *ut* omisso, iungitur; sed *ut* sequitur XII: 272, 18 *quod ut dicerem nullus adigebat.* Cfr Dræger. Hist. Synt. II: p. 240, 284, 329.

Admonere, i. q. *hortari,* cum acc. c. inf. pro *ut* et coni. VII: 177, 6 *ut te ibi rerum tuarum felicitas admoneret dis immortalibus ferre quæ votaveras.* Cum inf.

XII: 313, 26 *cum tempus admoneat meminisse præsentium* (Virg. Hor. Plin. Tac.).

Aspernari singulis locis apud Tac. (Ann. IV: 46), Stat. (Silv. I: 2, 105.) Mart. (VI: 64, 8) cum inf. positum est et VIII: 184, 2 *præstantes scientia medici non aspernantur vulnera inspicere quæ sanant.* Cfr Dræger. II: 344.

Cedere, i. q. *sinere*, cum acc. c. inf. iunctum insolentius reperimus XII: 311, 23 *vos — quibus secunda sors cessit dare famam rebus.* (Stat. Theb. I: 704, poster.) *Ut* sequitur Liv. VI: 42, 3. Tac. Ann. XII: 41.

Compellere cum acc. c. inf. VIII: 191, 26 *quos inopia latitare per saltus aut etiam in exilium ire compulerat.* Nom. c. inf. XII: 293, 13 *ferre compulsa victoriam Maximi* (sc. Gallia). 296, 28 *vita sese abdicare compulsus est.* (Ov. Luc. Curt. Suet. Justin.) Cfr Dræger. II: 327.

Conqueri c. acc. c. inf. XI: 255, 30 *tantum perisse frumenti certatim pro se quisque conquerimur.* (Lucr. Tib. Suet.)

Consulere boni VI: 154, 19 et XII: 291, 16 (Germania) *boni consulit ut quiescat.* Acc. c. inf. sequitur apud Plin. et Caton. fragm.

Contentus cum inf. II: 97, 30 *impetrare non contentus.* VII: 163, 24 *contentus vixisse.* XII: 273, 15 *per sententias isse et singulos universosque perrogitasse contentus.* 282, 27 *non contentus ipse ultra vitia recessisse.* 297, 20 *non contenti miseros avitis evolvisse patrimoniis.* (Ov. Vell. Sen. Curt. Tac. Suet. Cels.) Cfr Dræger. II: 379.

Contingere c. inf. III: 105, 27 *si de duabus rebus — dicere mihi — contigerit.* 114, 21 *quibus numquam contigit esse Romanis.* VII: 173, 6 *tibi uni contigit habere exercitum sapientem.* XII: 288, 29 *vix cuiquam contigit et abundare fortuna et indigere arrogantia* (Cic. Arch. 4. Hor. Vell. Quint. Val. Max.) Cfr Dræger. II: 236. Semel *ut* sequitur IV: 129, 14 *quod in Aegæo mari semel contigit ut — repente insula Delos sisteret.*

Credere cum nom. c. inf. in gerundiva forma insolenter iungitur XII: 302, 23 *nonne utroque credendus* (sc. est) *tuæ studuisse vindictæ?* Contra acc. c. inf. IX: 205, 19 *quid enim aliud illum sperasse credendum est?* Non acc. c. inf., sed sententia, tota ex se apta, sequitur II: 101, 13 *credo enim hoc idem Diocletianum oriens rogat.* IV: 122, 6 *Credo igitur, — Cæsar Herculius — prosequitur.* Contra parenthesis est compluribus locis, ut X: 224, 13.

Dedignari c. inf. XII: 291, 21 *rex eius dedignatus antea confiteri hominem.* 307, 11 *quia se divina mortalibus dedignantur fateri.* (Ov. Tac. Plin. pan. Iustin.) Cfr Dræger II: 344.

Dicere. Post hoc verbum in tempore simplici pass. positum acc. c. inf., non nom. c. inf. usurpatur III: 115, 15 *cum diceretur hostes quiescere, otiosos esse, pacem colere.*

Dubitare, i. q. *hæsitare*, c. inf. iungitur, etiam quum sententia affirmativa sit. IV: 120, 11 *appellare non dubito.* VII: 167, 22 *non dubitasti — punire.* XI: 249, 16 *vidimus — urbium populos dubitasse credere.* XI: 258, 21 *si præstare dubitasses.* XII: 281, 12 *dubitas excipere?* Insolenter c. perf. inf. XII: 307, 19 *an ego — dubitaverim illam specialem quandam felicitatis tuæ dixisse militiam.* *Non dubitare* cum acc. c. inf. pro *quin* et coni. V: 137, 7 *ut nemo dubitaret portum illum — vobis ad victoriam sponte patuisse.* XII: 282, 10 *nec abnuisse dubitabit imperium* (sc. te) *sic imperaturum.* In sententia interrog. X: 222, 16 *quis dubitet divinitus armis tuis deditum* (sc. eum esse)? 227, 23 *dubitare quisquam potest eum per omnia subnixum deo vadere?* (Cic. paucis locis, Liv. poster.) Cfr Dræger. II: 389. Acc. c. inf. post *dubitare*, quamquam sententia negativa non est, reperitur pro sententia interrog. XII: 307, 12 *neque enim — idcirco quæ visa non fuerint dubitabimus facta, cum facta videamus quæ dubitaverimus esse facienda.* (Lact. Augustin.)

Facere cum acc. c. inf., ut apud script. poster. æt., pro *ut* et coni. III: 107, 12 *Laurea illa — et illa Rætica et illa Sarmatica te — fecerunt pio gaudio tripudiare.* VIII: 189, 29 *donasti omnia quæ stare fecisti.* X: 244, 10 *cum rei publicæ ratio digredi fecerit* (sc. vos), *receptura dimittat.* (Plaut. Lucr. Ov. Virg. Col. script. postremæ æt.) Cfr Dræger. II: 236, 416. Contra *ut* sequitur III: 103, 14. VI: 156, 17. VII: 169, 9. VIII: 184, 13. 191, 10. X: 217, 10. XII: 313, 3.

Fas esse nullo alio loco apud script. Latinos, quod cognoverim, cum coniunctione quæ est *ut* et coni. ponitur quam II: 99, 31 *fas est enim ut hoc dicendi munus pium unde coepimus terminemus. Fas* et *nefas esse* cum inf. III: 102, 14. IV: 123, 21. 125, 15. 128, 10. VII: 161, 3. VIII: 183, 24. 188, 2. X: 217, 5. 233, 28. Cum acc. c. inf. VII: 166, 12. IX: 200, 9. X: 220, 20. XII: 276, 19. 313, 24.

Fateri in parenthesi exstat, quum acc. c. inf. exspectes, ut plerumque verba: opinor, credo, XII: 272, 12 *timui, fateor, pii laboris officium impia taciturnitate corrumpere.* Ita Plaut. Aul. 4, 4, 16. Ter. Virg. Aen. IV: 20. Ov.

Gaudere c. inf. XI: 256, 10 *quæ cuncta consilia eius gaudet formare divinitas.* (Lucr. Virg. Hor. Quint. Amm.) Cfr Dræger. II: 346. Numquam in pan. *quod* sequitur, sed semper acc. c. inf., ut III: 102, 14. 107, 6. VI: 151, 28. VII: 178, 13. IX: 210, 16.

Gloriari cum acc. c. inf. V: 144, 23 *gloriare tu vero — alium te orbem terrarum repperisse.* X: 224, 22 *quamvis — glorietur penes se sanctitatis famam stetisse* (Dræger II: 397). Cum *quod* et modo ind. X: 224, 12 *gloriabantur quod tibi militabant.* Cum *quod* et coni. V: 140, 13 *ut hoc uno Cæsar gloriari in illa expeditione debuerit quod navigasset oceanum.* X: 234, 14 *ut non tam gloriandum sit virtuti tuæ — quod eum viceris.*

Gratulari cum acc. c. inf. V: 138, 23 *servire se militiæ nomine gratulatur.* VI: 150, 8 *quod — evenisse*

tandem gratulabamur. VIII: 181, 29 *sed protegi maiestate Romana gratulabatur* (sc. se). XII: 294, 6 *non enim se vivere gratulatur.* Cum *quod* et ind. V: 146, 3 *hoc ipsum — gratulantur quod tanta illa vis — concidit.* Cum *quod* et coni. VII: 171, 11 *gratulare — naturæ ac moribus tuis, quod te talem — genuerit, talem siderum decreta formarint.* X: 234, 15 *tam — quam gratulandum felicitati quod ad pugnam potueris evocare.*

Gratum esse cum *ut* et coni. IV: 129, 2 *nisi — gratum esse confiderem ut — æmuletur.* Cfr Madvig. Lat. Sprogl. § 374, Annot.

Impar c. inf. VII: 173, 7 *multi olim pravi duces, certasse armis impares, largitione certarunt* (e coniect. Bæhrensii). Codd. præbent: *fortasse pravi duces, armis impares. Impar* cum inf. semel e Grat. Cyn. 61 affertur, sed quum coniectura Bæhrensii minime necessaria videatur, scripturam codd. retineo.

Indulgere, *ut* sequente VII: 179, 16 *si tamen hoc quoque mihi — tuum numen indulserit ut — referam.* Cum inf. iungitur apud Sil. et Stat.

Intelligere in passiva forma temp. simpl. cum acc. c. inf., non cum nom. c. inf. iungitur XI: 259, 19 *sine dubio intelligitur eum suffragiis populi magistratum capere.* XII: 280, 15 *ut iam tum posset intelligi alios imperatori pugnare, te tibi.* Hoc verbum Dræger II: 456 non affert.

Iubere cum inf. act. pro inf. pass. IX: 201, 10 *iussisti arma deponere.* Sed 201, 12 *corripi eos vincirique iussisti.*

Lætari cum acc. c. inf. VII: 190, 5 *quorum onera sibi remissa lætantur. Quod* sequitur VI: 150, 23 *lætatus est quod petisti.*

Licet plerumque cum inf. iungitur, ut III: 114, 12. VI: 156, 2. VIII: 184, 25. IX: 197, 10. 198, 3. 199, 18. 210, 23. 211, 2. X: 233, 17. XI: 267, 17. XII: 290, 21. 294, 8. 313, 30. Cum coni., *ut* omisso, II: 100, 11. XII: 291, 29, ut etiam apud alios script.

Insolentius *ut* sequitur VII: 176, 22 *cum per te liceret ut viveret.* XII: 289, 8 *si per rerum naturam liceret ut — cerneret.*

Mandare cum acc. c. inf. rarissimum est et reperitur paucis locis apud script. arg. æt. et poster. VII: 171, 25 *cui impensius etiam quam tibi occurrere obsequia. nostra mandaveras.* Cfr Dræger. II: 242.

In manu esse cum *ut* iungitur III: 112, 9 *ut conspicere vos invicem complectique possitis in manu vestra est.* Apud Apul. acc. c. inf. sequitur, apud Ter. semel *ne* cum coni.

Merere, mereri cum inf. VIII: 182, 4 *fratres populi Romani crediti sunt appellarique meruerunt.* IX: 201, 15 *ne — conservari iterum non mererentur.* X: 225, 21 *sic Constantinus iuvari meruit.* XI: 270, 1 *facilius est — bonis artibus mereri consulem fieri.* XII: 284, 26 *ut — illi meruerint teneri.* (Prop. Ov. Vell. Val. Max. Tac.). *Ut* sequitur IV: 125, 20 *merentur — Galli nostri — ut eorum indoli consulere cupiamus.* (Corn. Nep.; Cic. semel, Val. Max. Tac.) Cfr Dræger. II: 257, 331.

Metum esse cum inf., i. q. metuere alqd facere XII: 273, 10 *mihi metus hanc gaudiorum præsentium lucem tristium commemoratione fuscare.* (Ter. Liv.)

Mirari cum acc. c. inf. III: 109, 22. VI: 155, 26. 157, 22. IX: 207, 11. XI: 252, 16. XII: 290, 25. *Quod* sequitur IV: 117, 7. VII: 172, 17. XI: 244, 17. 253, 18.

Mirum esse cum acc. c. inf. VI: 157, 23 *multo magis mirum est te imperium ferre post otium.* Cum *quod* iungitur XI: 263, 24 *nihil igitur mirum est — quod tantus amor — fervet.*

Necesse esse cum dat. aut acc. c. inf. III: 112, 14. 115, 23. V: 135, 23. X: 213, 15. 216, 23. 239, 23. XII: 275, 23. 280, 30. 285, 14. 293, 1. Cum coni., *ut* non præcedente IV: 122, 20. VI: 152, 5. 158, 12. XI: 261, 2. XII: 307, 22.

Noscere in temp. præter. c. inf. ut *scire* XII: 285, 4 *prodesse noverat, amare nesciebat.* Ita poetæ, Cato, Apul. Lact. Cfr Dræger. II: 304.

Nuntiare in temp. simpl. pass. cum nom. c. inf. etsi dativus appositus est, XII: 308, 18 *ut Maximus tibi nuntiaretur occisus.* Sed XI: 266, 30 *adventare nos principi forte tum danti operam salutatoribus nuntiatur.*

Obesse, quod apud Ov. et Cic. singulis locis infinitivus sequitur, cum *quominus* positum est ut verba *impediendi* II: 98, 2 *neque vobis tanta locorum diversitas obest quominus illam veluti iunctis dexteris gubernetis.*

Oportere semper fere in pan. acc. c. inf. sequitur, ut II: 99, 21. IV: 120, 21. 123, 21. 127, 20. VI: 149, 9. VII: 160, 10. 177, 23. XII: 271, 8. 276, 28. Tamen semel cum coniunctivo IV: 125, 14 *hanc quoque mihi veniam tribuas oportet.*

Optare semel c. inf., ut apud Plaut. Ter. script. arg. æt., IX: 196, 15 *optantes mutare servitium.* (Nusquam apud Cæs. et Sall., rarissime apud alios script. aureæ æt.) Cfr Dræger. II: 256, 307.

Orare et *rogare* insolentius cum acc. c. inf. (gerundiv. et *esse)* iungitur X: 243, 15 *decennia Cæsarum nobilissimorum — extendenda — orare et rogare nos conveniat. Orare* c. acc. c. inf. apud Tac. Ann. XI: 10 et Suet. Nero 47., rogare c. acc. c. inf. semel apud Iustin. exstat. Cfr Dræger II: 408.

Pati plerumque c. acc. c. inf., ut II: 96, 26. VI: 156, 23. IX: 206, 18. 208, 21. X: 223, 29. XII: 276, 25. *Ut* sequitur, quum vis sententiæ primariæ negativa sit, ut apud Cic., IX: 200, 13 *aut quis pati possit ut quicquam in te belli casibus liceat?* XI: 246, 2 *nec patiuntur, ut quisquam alius — loquendi munus usurpet.* Cfr Dræger II: 252, 415.

Pavere cum acc. c. inf. pro *ne* et coni. V: 140, 25 *malam coaluisse ex indignissimo latrocinio belli molem pavebamus.* (Avian.) Codd. ABCV præbent: *audebamus,* quod nullam probabilem sententiam dat. Cod. W. et edd. habent: *audiebamus.* Bæhrens coniecit: *pavebamus.*

Perficere cum acc. c. inf. IV: 128, 24 *cuius ego locum — recoli ornarique perfecero.* (Arnob.)

Permittere insolenter cum acc. c. inf. ut apud Virg. et script. æt. arg. V: 137, 14 *quos adiri continens terra permisit.* Cfr Dræger. II: 250, 414.

Persuadere cum inf. act. pro *ut* et coni., ut apud Sen. Nep. Iustin., V: 143, 2 *quæ alia ratio persuasit nullum præsidium fugæ reservare nec vereri dubia bellorum nec Martem — putare communem?* Plaut. Cic. Virg. Sen. poster. paucis locis passivam formam c. inf. iungunt. Cfr Dræger. II: 324.

Præcipere insolentius cum acc. c. inf. XII: 311, 7 *non — linguam radicitus erui præcepisti.* (Curt. semel, Plin. Suet. quater, Iustin. Apul.). Cfr Dræger. II: 243, 410.

Præoptare, quod verbum a Cic. numquam usurpatum sæpe cum *ut* et coni. iungitur, infinitivus non solum apud Plaut., sed etiam apud Cæs. semel et poster. sequitur. XI: 254, 7 *laboriosissima negotiorum præoptans ipse agere quam aliis imperare.* Cfr Dræger. II: 256, 307.

Satis esse particula quæ est *ne* sequitur hoc uno loco, quod sciam, X: 220, 8 *Constantini laudibus satis est, dum efflorescentia bona cernimus, ne mala excisa reputemus. Ut* sequitur apud Plaut. Cic. Liv. Aliis locis usurpatur acc. c. inf. *Sufficit* verbum semel (Plin. ep. 9, 33, 11) *ne* sequitur. Cfr Dræger. II: 272.

Segnis c. inf., ut apud Virg. Hor. Ov., X: 235, 19 *non segnior gerere quam iubere.* Cfr Dræger II: 375, 377.

Sentire cum *quod* et coniunctivo pro acc. c. inf. iungitur V: 141, 22 *ut tunc denique senserit, quod non munitus esset oceano, sed inclusus.*

Sordere c. inf. IX: 211, 15 *sordet enim alios ex proximo tempore comparare.*

Studere cum *ut* et coni. iungitur, etsi subiecta sententiarum non eadem sunt, XI: 253, 26 *imperator impense studet ut nos pro dignitate habitemus, ut commodis affluamus, ut castam quidem, sed hilarem ducamus ætatem.* Optimi script. semper inf. utuntur, sed Plaut. Cato *ut* cum coni. habent, quum subiecta sententiarum primar. et secundar. eadem sint. Cfr Dræger. II: 260.

Suadere cum acc. c. inf. pro *ut* et coni. V: 137, 12 *nisi ædificandis navibus dari tempus rei necessitudo suasisset.* (Ter. Lucr. Virg. Apul.). Cfr Dræger II: 409.

Sufficere c. inf. aut cum acc. c. inf. ut æt. arg. V: 133, 20. VII: 175, 5. IX: 193, 14. 195, 25. X: 239, 20. XI: 250, 1. XII: 275, 12. 298, 22. *Ut* sequitur VII: 178, 24 *hoc votis meis sufficit ut patriam meam videas.* Pro hoc verbo Cic. usurpat *satis esse* c. inf. Cfr Dræger. II: 272, 357.

Timere insolenter cum acc. c. inf. V: 143, 13 *te — timuit iam iamque venturum.* (Liv.). Sed recte c. inf. XII: 298, 4. 302, 32. 310, 10.

Vovere cum inf. præs., non futur. iungitur XII: 300, 2 *populis barbarorum ultroneam tibi operam ferre voventibus.* Ita apud Plaut. et in cons. ad Liv. Ceteri script. futuro inf. utuntur. Cfr Dræger II: 398.

De gerundio et gerundivo.

Cfr de his rebus Götzii dissertationem p. 45, in qua omnes locos enumerat, ubi gen. acc. abl. in pan. II – IX inveniuntur.

Genitivus gerundii sæpissime usurpatur post verba abstracta, sed etiam post concretum invenitur XI: 250, 24 *inventorem serendi.*

Dativus gerundii post voces, quæ dat. casum regunt, usitatissimus est. Adnotari debet XII: 310, 14 *instruendo accinguntur triumpho.* Cfr Virg. Aen. I: 210 prædæ. Liv. et Tac.: in alqd aut ad alqd. Virg. G. III: 46 et Tac. Ann. XV: 51 verbum cum infinitivo iungunt. Sed dativus etiam pro sententia secundaria finali ut apud Liv. et poster. usurpatur IV: 119, 18 *maximas pecunias — non templis modo ac locis publicis reficiundis, sed etiam privatis domibus indulgent.* IV: 122, 26 *ingenia quæ ca-*

nendis eorum virtutibus excoluntur. 128, 15 *quamvis — intermissa fuerit eorum exercendis studiis frequentatio.* V: 137, 12 *nisi ædificandis navibus dari tempus rei necessitudo suasisset.* VII: 174, 20 (cura) *qua refovendis eorum viribus — navigia provideras.* XI: 247, 18 *vitandis legum poenis de novo scelere remedia quærebat.* XI: 265, 11 *regendis provinciis non familiarissimum quemque sed innocentissimum legis.* XII: 274, 14 *fabulas poetarum auribus mulcendis repertas.*

Accusativus gerundivi usurpatur post verba quæ sunt *curare* et *commendare* III: 104, 15 *semper aliquid agunt agendumve curant.* IV: 125, 10 *principes instituendam iuventutem commendare dignati sunt.* Contra II: 100, 32 *Catones proponere ad imitandum.* Cfr Cic. de orat. II § 93 nisi aliquem sibi proponerent ad imitandum.

Ad cum *acc. gerundii* post adiectivum quod est *amplus* reperitur IV: 117, 14 *sedes ista iustitiæ et ad agendum et ad dicendum amplissima.* Alias structuras exspectes IV: 123, 33 *quod mihi ad dicendum prius constitueram* (i. q. dicere). XI: 245, 4 *minor esse causa ad agendas gratias videbatur* (*ad* et acc. pro genitivo).

Ablativus gerundii et *gerundivi* sæpissime instrumentalem vim habet, sed modalis vel temporalis sensus est V: 139, 17 *summittente se Gotho pace poscenda.* IX: 210, 29 *vix leve pallium et sericos sinus vitando sole tolerantes.* X: 214, 8 *quid agimus vicenis aut iam tricenis annis circumscribendo quæ æterna sentimus?* 224, 26 *refrenandis cupiditatibus restricte contenteque vixerunt.* 242, 12 *quam agilis excipiendo hoste?* XII: 291, 29 *dum in remota terrarum vincendo procedis.* 301, 16 *vix leve carbasum vitando sole tolerantes.* 302, 12 *qui ad muros differenda morte properaverant.* 302, 15 *trepidando collecti.* — Iis locis a Götzio allatis, ubi abl. gerundii cum obiecto iungitur, addam XII: 302, 24 *adiuvando victoriam et occupando clementiam.*

De supino.

Accusativus supini in pan. rarissimus est et invenitur XI: 257, 24 *cum administratum vocarer,* ubi edd., Bæhrensio excepto, coniecerunt: ad magistratum. XII: 280, 13 *speculatum egredi.* XII: 291, 10 *receptos servitum Gothos,* ubi edd. plerumque habent: ad servitium.

Ablativus supini magis frequens est. V: 141, 7 *difficile aditu.* VII: 170, 20 *difficile factu.* IX: 202, 24 *inventu facile.* X: 222, 8 *visu facile.* 228, 27 *indigna memoratu* (Liv. Virg. Val. Max. Tac.). X: 230, 3 *atrox visu.* XI: 261, 21 *paratu facillimas comites.* (Sed XII: 290, 3 *facilis adiri*). XII: 290, 1 *creber egressu.* (Cfr Tac. Ann. XV: 53 rarus egressu. Plin. Hist. Nat. XVIII: 16 rarum dictu). 290, 24 *novum dictu.* 309, 9 *digna memoratu.*

De participio.

Futurum part. act. in pan. sæpissime attributive positum est pro adiectivo aut sententia secundaria relativa, temporali, finali. Apud optimos script. hic usus rarissimus est; posteriores autem hoc participio frequentius utuntur. Exempla in pan. reperta afferam. Pro adiectivo usurpatur II: 90, 2 *futuræ maiestatis.* III: 110, 7 *futuris cladibus.* VIII: 186, 29 *venturæ felicitatis.* 190, 8 *futuri temporis.* 190, 11 *venturis pensitationibus.* X: 226, 16 *futuri roboris.* 235, 2 *eventuræ cladis.* XI: 256, 4 *venturæ felicitatis.* 268, 17 et 269, 14 *venturis sæculis.* XII: 282, 5 *ventura posteritas.* Pro sententia secundaria positum est II: 90, 22 *venturo tibi.* 91, 9 *quæ castra dominum habitura susceperint.* 93, 10 *ceteros — ire passus es — militum manibus usurus.* 99, 8 *ædificatæ sunt — classes — oceanum petituræ.* III: 112, 5 *talia vobis dedistis omina, cito ad conspectum mutuum reversuri.* 115, 20 *concurrerunt barbari, sed invicem dimicaturi.* IV: 117, 18 *me — genus orationis habiturum.* VI: 151, 12 *talem postea ducturus uxorem.* 158, 32 *Scipio bellum Puni-*

cum suscepit — superaturus Hannibalem. 159, 19 *quem — sol ipse invecturus cælo excepit.* VII: 165, 5 *iturus ad deos — prospexit oceanum, ut fruiturus exinde luce perpetua iam videret — diem.* 165, 27 *patri tuo terras relicturo.* 166, 2 *imperator transitum facturus in cælum vidit.* 170, 14 *fundamenta — stabilem firmitatem habitura.* 171, 13 *cum venturus in lucem optionem vitæ — acciperet.* 172, 27 *usurus exercitu.* VIII: 186, 23 *tibi — victuro.* 187, 7 *instrumenta tibi occursura.* 187, 22 *diu venturi hominis partus optatur, diu vagitus inconditi locuturam differunt vocem.* IX: 196, 20 *milites — cessuri.* 199, 14 *ut dux ipse — muris excesserit — adducturus exercitum.* 205, 26 *venturo tibi.* 209, 15 *perrexisti — prolaturus imperium.* X: 213, 5 et 8 *dicturus — sentio.* 214, 9 *gratulationes in posterum redundaturas.* 215, 22 *erupturæ virtutis tumens germen.* 218, 2 *nobis venturis.* 219, 5 *insinuat — sese totas* (sc. mentes) *scrutatura divinitas.* 231, 23 *ut — superaturus timeret.* 235, 25 *dicturus horresco.* 244, 10 *ut vos — receptura dimittat* (sc. Roma). XI: 264, 5 *mente victurus.* 268, 6 *quid nobis placeat, sciscitatur, senatorium impleturus officium.* XII: 271, 6 *qui — dicturus — trepidaverit.* 271, 26 *ut obversari dicturo* (sc. mihi) *Catones — putem.* 273, 4 *vota — soluturus id — tempus aspiciam.* 276, 13 *animus venturus in corpus — metatur hospitium.* 276, 22 *a quo petit navigaturus serenum, peregrinaturus reditum, pugnaturus auspicium.* 280, 24 *velut impetraturus egisti.* 282, 11 (te) *imperaturum.* 296, 3 *cum det pecuniam reversuram.* 298, 24 *domini — dimicaturi flagra in aciem detulerunt.* 303, 2 *spe victoriæ in lucem venturæ.* 304, 21 *festinavit occursare venturo.* 308, 28 *dies numquam reversurus.* 309, 19 *nec mortem potuit timere moriturus.* 312, 25 *quos — morituros incluserat.*

Coniunctiones concessivæ et *comparativæ* sæpe in pan. cum participio aut cum adiectivo iunguntur nullo verbo finito addito. Hoc etiam apud Cic. paucis locis invenimus, apud poster. autem frequentius reperitur. Locos in pan. repertos afferam.

Licet c. adiectivo II: 90, 1 *parva tunc licet regia.* V: 140, 24 *exercitibus — licet invictis.* 145, 9 *vanis licet — magnis tamen terroribus.* VI: 157, 9 et VII: 160, 20 *invitus licet.* VIII: 182, 29 *blandiore licet, leviore tamen — affectu.* IX: 193, 14 *parvo licet modulo.* XII: 295, 18 *licet mala tamen aliqua defensio est.* Cum part. II: 101, 15 *profundissima licet pace florentes.* III: 104, 25 *fracto licet oppositus hosti.* IX: 196, 21 *munitissimum licet — tenentes oppidum.* 244, 21 *prorumpens licet.*

Etsi cum part. X: 220, 14 *etsi nondum ab homine lacessitus, iam tamen vitiorum eius inimicus.* XII: 291, 25 *etsi adhuc nomine foederatus, iam tamen tuis cultibus tributarius est.*

Quamquam cum part. IX: 193, 18 *quamquam oppletis auribus tuis — insusurrare.*

Quamvis cum part. III: 103, 23 *quamvis compositum gubernat imperium.* VI: 158, 26 *quamvis dissidentes familias.* VIII: 187, 9 *quamvis bene dissimulata paupertas.* XII: 288, 20 *quamvis diffusum — imperium.* Cum adiectivis in gradu positivo collocatis, etiam quum optimi script. *etsi* vel *quamquam* scripturi fuerint, V: 139, 4 *quamvis triste — discidium.* 142, 8 *quamvis fervidum — oceanum.* 145, 26 *quamvis pæne conspicuis litoribus.* VI: 157, 17 *quamvis — magnum laborem.* VII: 171, 3 *quamvis irati.* VIII: 180, 16 *mihi — quamvis imparato.* IX: 193, 5 *quamvis conscius.* X: 224, 16 *quamvis particeps cæli.*

Quamvis insolenter cum adiectivis in gradu superlativo positis iungitur II: 96, 3 *quamvis optimum — consilium.* IV: 117, 17 *quamvis diversissimum — genus orationis.* V: 133, 4 *quamvis maxime — imparem.* Cum comparativo reperitur IX: 199, 24 *quamvis gravius pondus.* Cum voce, quæ cum præpositione iuncta est, V: 135, 23 *quamvis in communibus rei publicæ bonis.*

Tamquam cum part. XI: 267, 1 *tamquam præceptus.*

Ut cum abl. absol. V: 135, 18 *ut ipsis qui gessere præsentibus.*

Addenda.

His rebus propositis perpauca de nonnullis rebus dicam, quæ quum ad recte existimandum de singulis oratoribus plurimum valeant, quamquam multa restant, quæ de iis dici posse videantur, tamen mihi proferenda esse putaverim. Primum aliquid de ordine verborum afferam, qui ut apud alios scriptores multiplex est, ita in panegyricis, quum vim orationis augere oratores studuerint, singularis varietatis esse videtur. Deinde quæ mihi ellipsin verborum perscrutanti occurrerint, breviter exponam.

Figuram quam vocant *chiasticam* his locis adnotavi: II: 91, 5. 91, 7. 92, 28. 93, 25. 93, 28. 96, 8. 97, 28. 98, 15. 100, 17 sqq. III: 104, 7. 108, 13 sqq. 109, 7 sq. 111, 11. 114, 5. 116, 9. IV: 118, 7 sqq. 122, 4. 125, 8. 126, 23. 127, 1. 128, 8 sqq. 129, 12 sq. 129, 23 sq. 130, 30 sq. V: 132, 16 sq. 136, 14. 138, 4. 138, 10 sqq. 139, 9 sq. 140, 24. 142, 11. 147, 25. 148, 5. VI: 149, 33 sq. 151, 33 sq. 153, 2 sq. 153, 5 sq. 153, 28 sq. 156, 10. 158, 9 sq. VII: 162, 24. 167, 1. 167, 23. 174, 8. 174, 17. 175, 18. 177, 28 sqq. VIII: 182, 6. 182, 18 sq. 184, 26 sq. 185, 21 sq. 187, 20 sqq. 191, 28 sqq. IX: 194, 3 sq. 196, 31 sq. 199, 28. 203, 15 sq. 209 21 sq. 211, 10. 211, 25. 212, 5. X: 215, 4 sq. 220, 24 sq. 222, 3 sq. 222, 29. 224, 6. 225, 21. 226, 27. 227, 4. 227, 17 sq. 228, 18 sq. 228, 22 sq. 229, 23 sq. 231, 9. 233, 2. 233, 20. 234, 29. 235, 21. 235, 25. 237, 6 sqq. 238, 14. 240, 21 sq. 242, 3 sq. 242, 12 sq. 242, 15. 242, 24 sq. 243, 17 sq. XI: 247, 14 sq. 252, 16 sq. 253, 29. 255, 12. 255, 21 sq. 256, 30 sqq.

258, 2 sq. 259, 21 sq. 260, 2. 262, 22 sq. 263, 2. 264, 12 sq. 265, 13 sq. XII: 271, 11 sq. 278, 7 sq. 280, 12. 285, 2 sq. 285, 6 sq. 288, 23. 289, 5 sq. 289, 15. 291, 7 sq. 294, 13. 294, 28 sq. 296, 24 sq. 299, 25. 301, 11. 301, 17 sqq. 301, 31 sq. 304, 3 sq. 306, 19. 307, 9 sq. 311, 5. 312, 28. 313 11 sq. 314, 5.

Si duo verba inter se coniuncta et plerumque in genitivo casu sed etiam in aliis collocata a duabus aliis vocibus reguntur, quæ et ipsæ inter se connexæ sunt, aliquot locis verba ita disiunguntur, ut alterum ex illis inter has duas voces ponatur, ut II: 91, 4 *illa fortissimarum sede legionum*. Eodem modo II: 91, 28. 96, 15. III: 104, 13. 107, 14. V: 148, 2. VI: 150, 22. VII: 173, 3. VIII: 187, 5. IX: 211, 11. XII: 283, 25. 289, 25. 298, 13. 311, 6.

Sæpe verborum ordo is est, ut duo verba in gen. vel in alio casu collocata inter duas alias voces inter se connexas iniiciantur, ut II: 89, 13 *sollemni sacræ urbis religione*. Eodem modo II: 91, 1. 92, 3. 94, 2. 100, 2. 100, 15. 101, 10. III: 101, 25. 102, 2. 103, 6. 103, 15. 103, 20. 104, 9. 104, 19. 105, 5. 106, 20. 107, 7. 110, 25. 111, 18. 112, 7. 112, 28. IV: 119, 5. 119, 15. 119, 27. 122, 28. 126, 13. 126, 16. 127, 4. 127, 26. 127, 28. 128, 25. 130, 24. 131, 27. V: 132, 10. 132, 13. 132, 19. 132, 21 sq. 133, 22. 134, 21. 135. 1. 135, 26. 137, 10. 138, 26. 140, 19. 141, 8. 143, 24. 146, 19. 147, 8. 148, 7. VI: 149, 10 sqq. 149, 25. 151, 32. 157, 12. VII: 161, 17. 161, 20. 162, 25. 164, 25. 166, 26. 168, 1. 169, 12 sq. 172, 29. 178, 1 sq. 178, 7. VIII: 180, 29. 181, 25. 185, 18. 186, 7. 190, 25. 191, 8. IX: 203, 9. 206, 9. 211, 14. 211, 17. 211, 26. X: 213, 26. 217, 20. 219, 13. 222, 13. 224, 15. 226, 17. 229, 17. 235, 6. 241, 1. XI: 245, 27. 246, 15. 249, 11 sqq. 250, 8. 251, 20. 255, 24. 256, 11. 258, 6. 260, 24. 261, 11. 262, 21. 263, 26. 264, 7. 268, 27. 270, 10. XII: 271, 20. 272, 32. 273, 23. 276, 2. 280, 20. 282, 18. 287, 27. 288, 2. 291, 17 sqq. 292, 1. 292, 5. 292, 9. 295, 6.

299, 12. 302, 9. 302, 27. 303, 3. 305, 8. 311, 15. 311, 24. 313, 9.

Etsi multis aliis modis ut apud ceteros scriptores verba collocari apparet, tamen verba inter se proxime cohærentia disiungere studuisse videntur, præsertim si genitivus interponi posset, ut II: 94, 15 *in clarissimo pacis habitu et in pulcherrimo virtutis ornatu.* Sed minus frequenter ordinem illum vulgarem invenimus, ut II: 89, 21 *sicut hodieque testatur Herculis ara maxima et Herculei sacri custos familia Pinaria, principem illum tui generis ac nominis Pallantea moenia adisse.* 90, 7 *similitudo ipsa stirpis tuæ ac vis tacita naturæ.* Adnotandum est III: 107, 2 *cum gemino Tigris Eufrate.*

Ellipsin verborum frequentius reperimus, præcipue formarum verbi quod est *esse.* Hos locos, ubi e verbis proximis audiri non possunt, adnotavi: *Est* absolute positum sæpe in sententiis interrogativis directis omittitur, ut III: 113, 12. IV: 127, 10. IX: 192, 16. 210, 17. X: 215, 5. 216, 7. 222, 3. 237, 19 sq. et in aliis enuntiationibus primariis, ut IV: 125, 15 *neque enim fas.* V: 146, 15 et VI: 157, 28 *neque (id) mirum.* XII: 280, 17 *illud tamen præ ceteris mirum.* VI: 152, 16 *neque enim dubium.* VII: 173, 22. IX: 202, 29. X: 224, 15. 225, 19. 225, 22. 243, 25. 243, 30. 244, 1. XI: 249, 1 sq. 257, 5. XII: 272, 26. 284, 24. 294, 15. 306, 31. Insolentius in sententia relativa abiectum est, ut VI: 155, 19 *non is erat optimus qui usu peritissimus imperator?* VIII: 191, 14 *hoc nobis est ista largitio quod Terra mater frugum.* IX: 203, 1 *hoc est quod securitas post timorem, quod umbraculum post calorem.* XII: 271, 16 *huc accedit auditor senatus, cui cum difficile sit – satis fieri, tum difficilius – non esse – horrorem.* Semel in sententia condicionali XII: 295, 22 *si fas piumque mortalibus æstimare cælestia. Est* cum perfecto part. pass. ad tempora composita pass. formanda plerumque coniungitur. Tamen in sententia primaria deest III: 110, 11 sq. IX: 206, 30. XI: 262, 9. XII: 312, 28. In enuntiatione relativa VIII: 185, 2 *illa autem quæ subiecta et usque Ararim porrecta planities fuit quidem – iocunda.* X: 230, 24 *quidquid oppositum.* XII: 286, 30 *honoratus est qui probatus.* Semel in sententia temporali XII: 304, 17 *ubi te adfore nuntiatum.* Cum gerundivo positum in sententiis primariis abiicitur X: 225, 10. XII: 277, 25. 302, 23. Bis in sententia relativa V: 148, 1 *illa cuius nomine mihi peculiariter gratulandum devotissima vobis civitas.* VIII: 181, 24 *quod maxime prædicandum.*

Sunt absolute positum omittitur III: 113, 3 *Iovis omnia plena.* VIII: 182, 24. X: 217, 24. 238, 24. 243, 24. XI: 251, 16. 259, 22. In perfecto pass. V: 139, 9. VII: 169, 17 sqq. IX: 207, 12. X: 225, 19. 232, 9. 236, 30. 243, 25. XI: 250, 12.

Erat vel *fuit* insolentius abiectum est IV: 126, 17. *quod enim tantum carmen Amphioni, quæ tanta plectro fidibusque dulcedo – quanta in his litteris inest – permotio,* ubi tamen nescio an ex verbo sequenti audiendum sit: *inerat.* IX: 202, 5 *triste nimirum tempus illud.* X: 224, 7 *hæc ipsorum sermocinatio.* 232, 8 *per tota moenia admodum magna vis hominum.* XI: 247, 7 *nemo ab iniuria liber, nemo intactus a contumelia.* XI: 260, 21 *iam serviendi miseranda patientia, adsentandi mira calliditas.* XII: 304, 4 *nullus finis cædendi insequendique, nisi subtraxisset – mors hostem.* XII: 305, 5 *nullus cuiquam sui tuive respectus.* 306, 31 *nec fides anceps.* 310: 9 *nam unde – tam repentina conversio.* Cum gerundivo positum omittitur XI: 256, 30 sq. *ediscenda omnium nomina – omnibus arridendum.* In sententia temporali X: 238, 18 *nec, ut primum liberum, continuo defæcatum est.*

Es audiendum est II: 99, 31 *felix igitur talibus, Roma, principibus – felix, inquam, et multo nunc felicior quam sub Remo et Romulo tuis. Estis* deest II: 96, 28 *quamquam hoc vos meliores et iustiores quod illos mater astu coegit.*

Inf. præs. absolute usurpatus omittitur V: 140, 3

tantæ magnitudinis arbitratus (sc. Britanniam). VIII: 186, 5 *cum scires — aditum atque aspectum tam foedum tamque asperum.* X: 242, 5 *ut intellegamus alacritati eius nihil asperum.* Cum perfecto part. pass. collocatum sæpissime abiicitur, ut II: 93, 26. III: 105, 30 sq. IV: 117, 11. 126, 19. V: 133, 28. 140, 4. VI: 156, 17. VII: 165, 23. VIII: 181, 3. 190, 5. IX: 193, 11. 198, 18. X: 218, 30. 222, 17. 223, 25. 224, 7. 225, 15. 234, 18. 236, 15. 239, 18. XI: 252, 16. 269, 18. XII: 274, 1. 277, 2. 297, 11 sq. 298, 5. Cum futuro part. act. positum deest IV: 127, 24. V: 138, 6. VII: 160, 17. IX: 212, 26. X: 216, 2. 221, 23. 237, 22. XI: 270, 21. XII: 283, 2. 291, 28. 312, 11. Ita cum gerundivo II: 93, 7. IV: 118, 30. X: 240, 10. XI: 269, 16. XII: 284, 29.

Esset maxime insolenter deest IV: 119, 17 *ut tanto esset illustrior gloria restitutorum quanto ipsa moles restitutionis immanior*, ubi e sententia proxima audiendum est.

Fecit ut apud alios scriptores omittitur III: 108, 18 *quid simile concitus equus aut relivola naris?*

Verbum quod est *dixit* vel *inquit* abiectum est, quod etiam apud optimos script. reperitur, XI: 255, 32 *at maximus imperator serenum renidens: nihil esse peccatum.* 258, 7 *cum vero te — viderem, tunc mecum: Claudi Mamertini, non frustra hucusque vixisti.* Ellipsis verbi quod est *ago* reperitur XI: 256, 13 *gratias tibi, gratias, imperator, — et plures gratias, imperator, si tantum amasti.* Præterea verbum audiatur IX: 200, 30 *aut quo tibi manus nostras —?* 201, 16 *sed unde tanto hominum numero tot vincula?* 207, 1 *sed quid ego hucusque iocularia?* XI: 255, 15 *dicet aliquis: "quomodo tam multa tam brevi tempore?"*

Subiectum structuræ quæ est accusativus cum infinitivo omittitur, quum idem sit ac subiectum verbi regentis, ut solet etiam Cic., X: 215, 29 *alter iam consulatum, iam venerationem sui, iam patrem sentiens — declarat mox victorem futurum* (sc. se). 221, 26 *an credidit conserenda manu non inferiorem fore* (sc. se)? 223, 29 *auxiliatores tui aspici adirique patientes* (sc. se). XI: 270, 14 *hoc tibi polliceor semperque præstabo mihi neque — veritatem neque — benevolentiam — defuturam, idque omni vitæ meæ tempore — enisurum elaboraturum effecturum* (sc. me). Sed etiam quum subiecta non eadem sint, deest. II: 97, 23 *ostendit ille te identidem — popularibus suis et intueri diu iussit* (sc. eos). V: 140, 2 *alium se orbem terrarum scripsit repperisse, tantæ magnitudinis arbitratus* (sc. eam, h. e. Britanniam, esse) *ut — videretur.* VIII: 181, 2 *dicam, imperator, ea quæ libenter agnoscas, ut ceteri nobis indulta non crederent* (sc. ea) *nisi te agnoscente dixissem.* IX: 201, 10 *iussisti arma deponere* (sc. eos). 207, 12 *ausi etiam quidam ut resisteres poscere et queri tam cito* (sc. te) *accessisse palatium.* X: 222, 1 *dolis, credo, existimarit decipi posse* (sc. te). 222, 16 *quis dubitet divinitus armis tuis deditum* (sc. eum esse). 225, 6 *ubi nulli inveniebantur, fides habita est divinos fuisse* (sc. eos). 225, 15 *credimus facta* (sc. ea esse). 244, 10 *ut vos alacris excipiat* (sc. Roma) *et, cum rei publicæ ratio digredi* (sc. vos) *fecerit, receptura dimittat.* XI: 250, 17 *properasse* (sc. eum) *non credet.* XII: 282, 9 *sed qui vitæ tuæ sectam rationesque cognoverit, fidei incunctanter accedet nec abnuisse dubitabit imperium sic imperaturum* (sc. te).

Cum substantivo verbali aliud substantivum præpositione sola coniungitur, ut etiam apud Cic. aliosque III: 112, 6 *facilis est mihi transitus — ab hac pietatis vestræ laude ad prædicationem felicitatis.* X: 236, 20 *dicendus in urbem ingressus est imperatoris. Sine* verba iungit XII: 279, 25 *maioris exempli est labor sine necessitate.* Insolentius III: 107, 10 *Laurea illa de victis accolentibus Syriam nationibus.* Cfr Liv.: victoria de patribus.